DE BEATO HIPPOLYTO GALANTINIO AUCTORE SODALITATIS...

Domenico Antonio Marsella

DE BEATO

HIPPOLYTO GALANTINIO

AUCTORE

SODALITATIS DOCTRINAE CHRISTIANAE

in Urbe Florentia

COMMENTARIUS

Exsaltavi electum de plebe mea.
Psal. LXXXVIII. v. 20.

EDITIO ALTERA EMENDATIOR



FLORENTIAE
Ex Typis J. Pagani
1835

LECTORI BENEVOLO
DOMINICUS ANTONIUS MARSELLA

Equidem aetate jam gravis, neque levibus etiam valetudinis incommodis afflictatus, Commentarium de beato HIPPOLYTO GALANTINIO haud attentandum mihi esse putabam, praesertim cum pro rerum varietate, et copià, proque ingenii tenuitate operosum nimis, ac salebrosum fore intelligerem. Verum publicas de ejus virtutibus, ac gestis exaratas tabulas cum nuper attentiùs perlustrassem, tam mira, ac nova in iis reperi, facere ut nullo modo potuerim, quin rem animo agitandam susciperem. Quid tamen consilii caperem incertus adhuc, et simul veritus, ne haerere aliquando in salebrà deberem, cum plura occurrerent, quae non tam facile, et recte reddi latine posse viderentur, cogitationem fortasse omnem hac de re tandem abjecissem, si COSMUS CORSIUS, quem honoris caussà nominatum volo, quique hìc in Urbe XII. Vir Etruscus sacri consilii litibus judicandis, et Praesul etiam Florentinorum aedis sancto Joanni Baptistae sacrae, animum mihi addere, meque ad opus suscipiendum impellere non omnimode conatus esset.

Hoc igitur auctore, atque impulsore, cujus voluntas mihi semper gravissima, manum operi admovi, et in illud insistens, persaepe, fateor, vel

stilum vertere, vel etiam manum de tabulâ tollere coactus, tum ut latini sermonis venustati pro viribus studens, nihil admodum de perspicuitate detraherem, quae praecipua dicentis, aut scribentis laus, tum quoque ut pro instituti ratione, ac temporis angustiis brevitati consulens, paucis tamen multa complecterer. Quid profecerim, aequus viderit Lector, qui tamen sciat, velim, me, quod potissimum spectaveram, plane assequutum, ut beati HIPPOLYTI praeclara virtutum documenta ad imitandum pro viribus proponerem iis, praeter ceteros, qui latinum magis, quam etruscum sermonem callent, vel illo potiùs, quam hoc delectantur.

Hac porro de caussâ augurari mihi posse reor fore, ut Commentarius hic si ex nullâ auctoris commendatione, ex iis tamen, quae refert, amplissimo Praesuli COSMO CORSIO, atque Etruscae genti pergratus, neque vero Celsitudini Caesareae, ac Regiae LEOPOLDO II., magno Etruriae Duci, injucundus omnino obveniat. Nemo enim ignorat, quantum Celsissimus Princeps liberales artes, et severiores quasque disciplinas semper adamarit, earumque cultores exemplo excitare, patrocinio tueri, munificentia fovere vel maxime studuerit; verum etiam illustrium Majorum, augusti praesertim Parentis documenta aemulatus, vestigia persequutus, ad Dei cultum, et pietatis studium, quae ipse cum lacte combibit, omnes, qui ejus subsunt imperio, mature informandos curet. Qui igitur dubitare umquam liceat, quin acceptum

habeat, magis, magisque in lucem, adspectumque proferri virtutes, ac gesta beati HIPPOLYTI, qui nihil profecto totâ vitâ potius habere visus est, quam ut pueros, rudesque homines fidei nostrae mysteriis, et catholicae religionis praeceptionibus omni curâ, et industriâ, et vero etiam Sodalitate in id constitutâ imbueret, atque adeo cum animarum saluti, tum praeterea civilis aeque, et christianae reipublicae commodo, quam optime posset, provideret?

Faxit vero Deus, ut quae rudi sane, pressoque stilo exaranda curavi, ea tibi, humanissime Lector, quisquis tamdem sis, aliquâ saltem ex parte sint profutura, scilicet *exemplo tangi non propiore potes!*

DE

B. HIPPOLYTO GALANTINIO

COMMENTARIUS

Non est distinctio, neque acceptio personarum apud Deum, qui stulta mundi eligit, ut confundat sapientes, et ignobilia mundi, et contemptibilia, ut confundat fortia. Quod quidem si persaepe alias, nunc certe mirum in modum suspiciendum sese offert in eo, cujus eximias virtutes, resque tam praeclare gestas breviter commemorandas suscipimus. Id autem eo libentiùs faciendum duximus, quo magis opportunum, ac salutare aetatis cujusque, et conditionis hominibus confidimus futurum. Neque enim de homine agitur vel splendore generis, vel dignitatis amplitudine commendato, sed infimo loco nato, et humilem, vulgaremque artem exercente, de homine praeterea, qui neque litteris imbutus, neque Sacerdotii honore auctus, neque in aliquam ex sacris Familiis cooptatus, vel sollemnibus votis devinctus, sed qui privatus communem domi suae vitam, in hominum tamen congressu, convictuque, atque in frequentissimâ, eâdemque florentissimâ urbe perpetuo traduxit. Atqui hic, talisque vir eâ perfectâ, cumulatâque virtute exstitit, eo caritatis igne in animarum salutem flagravit, ac tam magno, patientique animo adversa quaeque, et molesta pertulit, ut *spectaculum factus* dici omni jure possit *mundo, et Angelis, et hominibus.*

Florentia HIPPOLYTI patria, ea nimirum urbs, quae non modo industriâ, ingenioque civium, ac suorum

Principum munificentià liberalium artium, ac severiorum disciplinarum optima semper altrix, verum etiam virorum sanctitatis laude praestantium fecunda parens. Hac enim in urbe *Philippus Galantinius* uxorem duxerat *Mariam Ginevram Zufoliam*, qui ambo multâ honestate, ac religione conjuges, nullâ vero generis commendatione, nulloque censu, ex arte, quam exercebant, sericas texendi telas, victum sibi quaeritantes, parvo vitam tolerare cogebantur. *Philippus* quatuor ex hoc conjugio suscepit filios, ex quibus natu maximus HIPPOLYTUS noster qui septimo vix mense exacto in lucem editus, et quidem non minutulus modo, sed etiam ex acerbissimis matris parientis doloribus subniger, et paene mortuus, ut lustralibus aquis statim eum abluere oportuerit in aede sancto Joanni Baptistae sacrâ, indito a patre ipso nomine, pridie Idus Octobres an. MDLXV. At convaluit, non tam parentum curâ, quam singulari Dei providentiâ, qui eum jam inde delegerat, ut tot, ac tanta ad ejus gloriam, et animarum salutem gereret. Quamquam neque ita post multo mater, quae HIPPOLYTUM paucos natum menses lectulo jacentem reliquerat, domum regressa filiolum tam arcte linteis obvolutum, et constrictum reperit, ut algentem, et intermortuum aceto calefacere, atque ad animum, viresque revocare perquam aegre potuerit, atque adeo a mortis limine restituere.

Parentes quamvis rudes, humili loco nati, et rei familiaris angustiâ pressi, ut supra commemoravimus, Deum tamen timentes, filios in disciplina Domini sedulo, diligenterque, ut officii ratio postulabat, educandos curarunt, eosque ab infantiâ Deum timere docuerunt. Hi enimvero parentum industriae, et curis apprime respondentes, singuli quique morum honestate, ac pietate in Deum admodum probati. At ceteris longe

praestitit HIPPOLYTUS, qui unum vix natus annum et reddere voces, atque ore, oculis, verbis, gestuque ipso nescio quid jam tum prae se ferre, unde praeclarae illae ingenii, animique dotes satis interlucerent, quibus tam eximiae instructus postea visus est.

Grandior factus conjecturâ nequaquam aberratum plane ostendit. Nam et amussitata indoles, et ingenii acumen, et fida memoria, et morum lenitas, et sermonis affabilitas, et, quod certe maximum, veluti insitus pietatis, ac religionis amor adeo in eo emicare, atque in dies vigere, ut omnibus, qui eum noverant, valde probatus, non modo carissimus. Et sane HIPPOLYTUS quinquennis adhuc templa adire, preces fundere, aliaque pia opera agitare, maxime vero sacris interesse concionibus. Neque id satis; siquidem puerulis aequalibus suis per vias, plateasque vagantibus sollicite convocatis, iisque extra Portam pratensem, quae domui proximior, deductis, ipse e loco superiore, vel ex arboris trunco, quae a sacris oratoribus audierat, memoriâ exponere consueverat, nisi etiam christianae religionis elementa, quae optime callebat, eos doceret; atque haec omnia tam recte, et eleganter, ut praetereuntes subsisterent, neque mirari satis possent, quod puerulus talia, ac tam bene perageret. Cum vero, divino monente Spiritu, *ex studiis suis intelligitur puer, si munda, et recta sint opera ejus*, nemo profecto erat, quin multa, ac magna ab eo exspectanda censeret.

Parentum porro observantissimus, quam qui maxime, id profecto curabat unum, nihil ut umquam neque dictis, neque factis eos vel minimum offenderet, immo potiùs eorum ex nutu omnino penderet. Ita litterarum elementa vix didicerat, cum ex ipsorum parentum voluntate textrinam artem, quam illi factitabant, exercendam suscepit, ut ex suo compendio aliquod eorum

inopiae levamen afferret, quam quidem artem, quamvis operosam, atque humilem, perdiu tractavit. Neque minore sane studio ceteros quosque colebat, maximeque cavebat, ne quid incommodi, aut molestiae cuiquam crearet. Quâ de caussâ cum aliquando parvo intento arcu calamum ex grandioribus paleis, cui aenea cuspis, puerili, ut fit, lusu conjecisset, atque unius ex pueris in prato collusoribus crus leviter laesisset, id ubi advertit HIPPOLYTUS, nimium quantum doluit, neque veniam facti praeter omnem certe quidem voluntatem, cogitationemque, et enixe, et flexis genibus ab eo petere destitit, nisi cum plane sibi reconciliatum perspexerit. Cujus rei postea memor, eumdem ipsum in carissimis, et conjunctissimis semper habuit.

Exinde HIPPOLYTUS septimum jam agens annum, dum in prato pueriliter saltitabat, pede lapsus praeceps concidit, et dexterâ transfixâ genâ ad faucium cavum, grave retulit vulnus, unde non parva sanguinis effusio. Quod cum vespere matri significasset, haec artis, quae manu curat, peritum illico accivit, qui cruentâ suturâ vulneris oras conjungeret. HIPPOLYTUS tamen mediâ jam nocte insomnis adhuc in lectulo jacebat, summopere veritus, ne pater, re mane cognitâ, homo ut erat severus, objurgationibus, atque etiam verberibus eum afflictasset. Haec agitans, et memoriâ repetens, Cosmam, et Damianum medicâ, quam hic in terris exercebant, arte plurimos sanitati reddidisse, ad eos conversus impense rogavit, ut sibi etiam medicinam afferrent. Post haec cum somnum cepisset, ecce iidem germani Fratres adstantes illico visi, qui et vulnus curarent, et simul eum hortarentur, ut ad virtutis apicem contendere niteretur. His dictis e conspectu abierunt; et HIPPOLYTUS non levi perfusus laetitiâ, statimque experrectus manum vulneri admovit, et cum vel ipsam cica-

tricem plane obductam cognovisset, debitas Deo, sanctisque Martyribus gratias egit, qui tam prodigialiter ab omni metu, et sollicitudine eum liberassent.

Tum enimvero HIPPOLYTUS, quae ab sanctis hisce Martyribus acceperat, secum ipse recolens, omni omnino puerili lusu amoto, (cui tamen multo certe minùs a puero indulgere visus, quam tenera illa aetas vulgo consuescit,) id consilii iniit, et, Deo auspice, perficiendum statuit, nihil ut jam aliud in posterum, nisi caelestia spectaret, seque totum Deo devoveret. Quod constituerat, omnino praestitit HIPPOLYTUS. Adspice, quaeso quomodo ex infantiâ, tam bene ceteroquin, et innocenter actâ, adolescentiam ineat, maximo semper documento adolescentibus futurus, diligenter caveant, ne mature in vitium misere flexi, vel etiam omne nefas de tenero meditantes ungui, eam suscipiant viam, unde heu quam difficile, ut etiam cum senuerint, tamdem aliquando recedant! Precatio fere assidua, diuturnae sacris in aedibus stationes, divinarum laudum cantus, parva domi exstructa ara, eaque tot chartaceis Caelitum imagunculis ornata, quot anni dies, ut in singulos uni ex illis praecipuum tribueret honorem, atrata vestis, quâ postea semper usus, solitudinis amor, oculorum custodia, oris verecundia, is denique incessus, totiusque corporis habitus, ut in eo non boni solum, modestique adolescentuli speciem, sed senis etiam gravitatem plane suspexisses.

Neque eo jam contentus HIPPOLYTUS, alicui ex sacris Familiis nomen dare cogitabat, ut humanarum rerum curâ omnino depositâ, uni Deo serviret; id tamen cum per aetatem nequaquam sibi licere intelligeret, quae pro re, et tempore posset, factitanda curavit. Inter haec infestissimus humani generis hostis tantam adolescentis virtutem aegerrime ferens, omnes movere

technas, ut a proposito deterreret, oculisque subjicere, quae, et quam gravia ei ferenda, si ab susceptâ vitae ratione non recederet. Haud tamen abjecit animum HIPPOLYTUS; immo vero tamquam jam veteranus miles omnia nequissimi tela strenue rejecit, et tantum abfuit, ut aliquanto remissior, quin potius alacrior factus, pleno gradu virtutis iter insistere visus est.

Verum HIPPOLYTUS, qui non sui ipsius modo, sed et aliorum hominum saluti consulere vehementer optabat, adolescentulos, quos posset, cogere, eosque christianae religionis mysteriis erudire, tum etiam quâ monitis, quâ exemplo ad sacras deducere aedes, ut per Poenitentiae Sacramentum animi noxas persaepe expiarent. Ubi vero accepit, Societatis Jesu Alumnos in sacrâ eorum aede adolescentes christianae legis elementis instruere, statim unâ cum adolescentulis, quos socios sibi assumpserat, eo itare coepit. Illi enimvero cum HIPPOLYTUM apprime instructum cognovissent, quippe quem ad rogata quaeque vel difficillima optime respondentem audirent, praefecerunt classi, quae ex iis ipsis ejus sociis, quaeque ex illis una, in quas adolescentes dispertiti, omni jure rati, non in discipulorum numero, sed Magistri loco eum habendum. Huc accessit, quod iidem ipsi adolescentes, quos HIPPOLYTUS secum ducere consueverat, atque ad omnem honestatem, Deique cultum informare, ita modesti, ac bene morati, ut omnium in se admirationem concitarent; et si quem forte male moratum per vias quis offendisset, statim trito proverbio compellabat: « Non « es tu certe quidem ex illis HIPPOLYTI; » tanta nimirum morum dissimilitudo.

Dum HIPPOLYTUS hisce omnibus impense studebat, ejus interea conscientiae Moderator, tantâ vitae integritate perspectâ, peridoneum censuit, qui ad sacram

jam accederet synaxim, tametsi nonum aetatis annum nondum excessisset, idque praeterea singulare quiddam, et ab consuetudine alienum, ut illis temporibus, posset videri. Quod ut HIPPOLYTUS accepit, mirum profecto, quanta fuerit laetitiâ affectus, cum peroptato accidisset. Quam ad rem cogitationes omnes intendens, nihil non egit ipse, quo paratior, quam posset, Christi corporis mysteria usurparet, et quo uberiores ex his fructus perciperet. Hoc si primo, idem et postea, immo nullo umquam tempore non nuptiali veste indutus, quâ caelesti convivio posset semper accumbere. Exinde enim ab omni vel levi culpâ sese immunem diligenter servare, conscientiae latebras et saepe, et severe scrutari; et si textrinae continenter operaretur, mente tamen in Deum conversâ nihil inane cogitare, inutile nihil proferre; in singulas horas Deiparam salutare, humi praeterea cubare, et jejuniis, aliisque afflictationibus inde ab adolescentulo corpus in servitutem redigere.

Hoc interim temporis spatio Alexander ex nobilissimâ Mediceorum progenie, qui tum Florentiae Archiepiscopus, postea vero LEO XI. Pont. Max., statuendum duxit, ut ejus in Dioecesi publice docerentur pueri catholicae fidei rudimenta, quo satiùs tum christianae, tum civili etiam reipublicae commodo esset provisum. Qui porro rei perficiendae curam habebat, ut et opportuna loca, atque ad opus idoneos deligeret Magistros, unum ex his designavit HIPPOLYTUM, qui tamen munus tum denique recepit, ubi ab sacrae Poenitentiae Administro jussus obire. Quare ei attributa aedes sanctae Luciae, cui a *Prato* cognomen, cum duodecimum aetatis circiter annum ageret. Neque jam conceptam de se opinionem HIPPOLYTUS decepit, quin immo longe vicit exspectationem omnium; siquidem

rudes homines, puellos, puellasque, qui eo certatim confluebant, tam bene, ac sapienter, ac tantâ simul modestia, et prudentiâ christianae legis praeceptionibus imbuebat, ut uberrimi exinde fructus exstiterint. Nam et immutati mores, et frequens Sacramentorum usus, aliaque hujusmodi; neque pauci etiam utriusque sexus adolescentes in sacras Familias cooptati.

Hippolytus tamen perfectius vitae genus semper exoptans, statim ac quartum supra decimum aetatis annum attigit, omnem dedit operam, ut in sacram aliquam, et maxime *Fratrum Capucinorum*, quos potissimum diligebat, Familiam adscisceretur. At ubique repulsam tulit ex metu, ne paullo infirmiore ut erat valetudine, par haud esset religiosae vitae disciplinae ferendae. Itaque desistens, in Deo tamdem conquievit, eoque magis, quod ab conscientiae Moderatore doctus, hanc divinam esse voluntatem, atque uberiores fructus ipsum editurum, si in suscepto vitae cursu perstaret.

Et sane rem ita esse Deus ipse satis ostendit. Nam cum aliquando hippolytus de nocte precationi instaret, splendorem e caelo in se descendentem inopinato suspexit, unde totum illico cubiculum inclaruit. Hoc visu non parum obstupescens, et simul veritus, ne id ex Daemonis arte fieret, qui ex tenebrarum, lucis tamen quandoque Angeli speciem, Dei permissu, induit, enixiùs multo precabatur, et genibus flexis sese omnium omnino hominum humillimum, atque abjectissimum esse profitebatur, cum ecce novus splendor multo etiam altero vividior. Tum enimvero, arrepto flagello, in suum corpus acerrime saevire, et ab Deo lumen, auxiliumque etiam, atque etiam implorare. Inter haec hippolytus longe vividissimâ luce circumfusus, et sopitis sensibus in di-

vina totus abreptus, Christum Jesum e cruce pendentem, manibus tamen refixis, sibi adstantem conspexit, qui inquit: *HIPPOLYTE, nihil aliud abs te volo, nisi ut Sodalitatem constituas, homines ex infima plebe cogas, eosque divinae legis praecepta, ac mea doceas judicia vereri.* Hinc cooperiens eum veste acutis spinis intertextâ, quam tamen arctam, atque asperam nisi magno cum dolore sibi HIPPOLYTUS induere nequaquam poterat, Jesus eum erigens: *Hae punctiunculae*, ait, *tui erunt filii, HIPPOLYTE; at ego semper tecum, tuisque necessitatibus adero: habe tibi pacem*, et post haec ab oculis evanuit (*). HIPPOLYTUS tunc ab exstasi revocatus, corpus quidem lacerum, et vulnerulis refertum sensuit, idque per aliquod temporis spatium, animosior tamen factus, alacriùs multo, et confidentiùs inceptum opus fuit persequutus, omnibus ut admirationi esset, et exemplo.

(*) Exstat hic Romae penes Presbyteros sancti Philippi Nerii, quibus ab *Oratorio* nomen, ad aedem novam pervetusta tabula altitudine palmorum circiter quatuor, et trium latitudine, in quâ graphice depictus Christus Jesus, qui e cruce pendens, manibus tamen refixis, HIPPOLYTO pedibus advoluto visendum se praebet, eumque solatur, uti in publica acta relatum. Hìc autem cum in appositâ inscriptione Beati titulo HIPPOLYTUS donetur, conjici utique potest, tabulam hanc non multo post ejus obitum effictam. Neque enim hoc titulo fuisset honestatus, ex quo URBANUS VIII. Pont. Max. fuit renuntiatus VIII. Id Sextiles an. MDCXXIII., quatuor circiter annos ab HIPPOLYTI morte, cum sciamus votivas tabellas, aliaque dona ex HIPPOLYTI sepulcro post ejusdem Pontificis decreta, statim sublata ne quid impedimenti subesse posset in tempore, quominus in Caelitum ordinem referretur. Et sane verosimile admodum est, commemoratos Presbyteros tabulam hanc vix ab HIPPOLYTI obitu sibi habendam curasse, cum de viro ageretur, qui non modo sanctitatis famâ illustris, verum et eorum Auctoris suppar, et civis, ex quo nonnulla etiam in Sodalitatis praescripta derivasse videbatur.

Itaque Deus, qui HIPPOLYTUM ad perfectam, consummatamque virtutem destinaverat, pluribus afflictari adversis, et multimodis etiam ab Daemone tentari permisit, ut *tamquam aurum in fornace probaret* eum. Ac primo quidem non pauca, nec levia tolerare a domesticis debuit, qui nimis aegre ferentes ejus vitae rationem, irridebant, exprobrabant. Horum tamen omnium fons, et origo pater, qui nihil spectans aliud, nisi ut filius assidue operaretur; eum objurgare, conviciis insectari numquam desistebat. At HIPPOLYTUS totus interea in divinâ voluntate acquiescens, tacite, ac patienter acerba quaeque perferebat, molestias devorabat, et ut patris animum, quâ posset ratione, placaret, spopondit, se viginti quatuor ulnas telae sericae adamussim elaboratae in hebdomadâ facturum. Cum vero, Deo opitulante, plures etiam per id temporis spatium texendo conficeret, lucrum ex iis, quae ultra pensum, vel in sui vestitum, vel in pios libros conferebat. Quod tamen ubi pater cognovit, nihil admodum filium habere, sed omnia sibi tribui voluit.

HIPPOLYTUS tot defessus laboribus, qui ejus neque aetatis, nec valetudinis erant, tum praeterea quod tam aspere corpus afflictabat, fervidissimâ febri correptus letaliter decubuit, atque viribus adeo jam destitutus, ut pauxillum cibi, quo vitam sustentaret, nisi ore per vim aperto capere nequaquam posset. Tum enimvero hippocraticae artis peritus de ejus salute omnino desperans, Christi corpore in viaticum refici jussit. Hoc accepto, et quidem miro cum pietatis sensu, omnibus e cubiculo dimissis, solus remansit. Quid interea egerit, qui igniti ejus animi sensus, quae cum tanto hospite colloquia, omnino latet: illud constat unum, quod morbus illico remis-

sus, receptae vires, ut paucis post diebus textrinum prelum denuo tractare potuerit.

Haud tamen pater quidquam de severitate remisit, sed rudis ut erat, neque filii rationem agendi satis intelligens, servilem potius in modum, quam filii loco eum habebat, et textrinae, ut cum maxime, instare cogebat. Hanc patris saevitiam cum conscientiae Moderator cognovisset, curavit, ut HIPPOLYTUS majorem valetudinis rationem haberet, et in patris, quod constituerat, reliquum vero temporis in animarum commodum, ac salutem impenderet. Quamquam non multo post pater idem, errore tamdem perspecto, veniam cum lacrimis ab filio petiit, eique eam omnem dedit facultatem, quâ quidquid libuisset, libere agere in posterum posset.

HIPPOLYTI nomen cum quotidie magis increbresceret, praesertim quod ad sanctae Luciae pueros, puellasque prima fidei christianae praecepta tam bene docentem viderent, hetaeriarcha Sodalitatis ejusdem munus abdicaturus, HIPPOLYTO conferre statuerat, ratus neminem magis idoneum reperturum. Quod cum HIPPOLYTO significasset, qui nihil tale cogitabat, seque praeterea eidem muneri imparem omnino fore putabat, mensis spatium sibi sumendum respondit, quo temporis intervallo Deum precari, et conscientiae Moderatoris sententiam hac super re posset exquirere. Cum vero mense exacto oblatum munus utique excipere posse ab hoc cognovisset, illius Sodalitatis regimen communi omnium plausu in se recepit annos natus decem, et septem.

Hic tum HIPPOLYTUS secum ipse reputare, quam arduum, ac perdifficile impositum sibi munus, non modo quia aliis praeesse deberet, quod ipsum, si bene consideres, per se grave, verum etiam quia tunc

temporis non leviter prolapsi mores ex divinae legis, ut plerumque assolet, ignoratione. Hoc in rerum statu HIPPOLYTUS sibi omnino diffisus, omnem vero spem in Deo ponens, ad cujus gloriam, et animarum salutem onus illud receperat, post opportuna ab Deo implorata auxilia, duo sibi perficienda statuit, primum quidem, omnem ut daret operam, quo rudes homines divinae legis mandata addiscerent, quippe faciliùs ea servaturi; alterum vero, ipse ut bonis praeluceret cuique exemplis, quo improborum pessimis remedium aliquod afferret, qui hoc etiam audaciùs peccare non dubitant, quo minùs homines eorum moribus dissimiles reperiunt.

Hac mente manum operi statim admovit, et quasi nihil boni egisset adhuc, assidue precari, carnem multo magis afflictare, et ubi tres horas somno se dedisset, nonníhil ut quietis, ac levaminis defesso corpori necessariò tribueret, reliquum noctis tempus piis legendis libris traducebat, quo aliquanto instructior ad alios docendos. Post vero quam per eorum consensum, permissumque, qui sacrorum Antistites, publice verba facere in Sodalitatis aede licuit, primi sermonis argumento ex Zachariae cantici verbis petito: *Illuminare his, qui in tenebris, et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis*, miserrimam peccantium conditionem, et simul opportuna ad eorum emendationem remedia adeo graphice, et actuose duas ferme per horas ob oculos posuit, ut auditores sese nullo pacto continere potuerint, quin singultibus, et lacrimis admissorum criminum poenitentiam palam ostenderent, eumque tamquam Angelum Domini praedicarent, quem utpote adolescentem adhuc, neque ullis disciplinis instructum non jam suo marte, sed dumtaxat ex di-

vini Spiritus afflatu tam bene, tamque apposite loqui posse constaret.

Hisce porro ex curis, et laboribus quo uberior, et amplior in dies manaret fructus HIPPOLYTUS Sodalitatem sanctae Luciae, cui ipse praeerat, et cujus Sodales bis in mense conveniebant, eorumque praecipuum munus, ut Christum Jesum in Eucharistiâ latentem comitarentur, cum ex Paroeciae aede ad aegrotos deferretur, in eam, quam optime posset, formam redigendam censuit. Non pauca igitur, et quidem saluberrima ad ea paullatim addenda curavit HIPPOLYTUS. Statuit scilicet, ut Sodales iidem singulis diebus festis ter convenirent, mane, postmeridiano tempore, ac vespere; singulis vero Feriis sextis semel de nocte ad acerbissimos Christi Jesu cruciatus pie recolendos tum divinarum rerum commentatione, tum flagellis, tum denique sermone aliquo, quem plerumque habebat HIPPOLYTUS.

Jam vero Sodales isti, qui sanctae Luciae vigiles idcirco nuncupati, quia diebus festis multo ante lucem convenirent, non breve matutini temporis spatium tribuebant divinis laudibus attente, et devote concinendis, precibus fundendis, maxime pro defunctis piaculari carcere adhuc detentis, aliisque piis exercitationibus, ut tamen omnes quoque ex Apostoli monito sese probantes, et simul ad fidei, spei, caritatis, aliarumque virtutum sensus semetipsos excitantes, paratos se praeberent, qui caelesti pane reficerentur. Nimirum illud in primis spectabat HIPPOLYTUS, ut Sodales non modo christianae legis elementa pueros, rudesque homines quam optime, patienterque perdocerent, verum etiam dominici corporis participes crebro fierent, precationi, quae veluti quoddam animi pabulum, multam darent ope-

ram, sacrisque interessent concionibus, ut dum aliis prodesse, ipsi etiam in pietate progredi studerent.

Ac primo quidem cum idoneos etiamnum non haberet homines, qui eum in perdocendis pueris adjuvarent, ecce tibi HIPPOLYTUS, qui statim de prandio huc, et illuc per vias, vicosque cursitabat, ut quos posset, otiosos praesertim, et mendicos comiter alliceret, secumque magno sane numero in Sodalitatis aedem deductos ad divinae legis praecepta informaret. Postea vero adjutores hac in re nactus, suam cuique urbis regionem attribuit, iis summopere commendans, ut pueros, rudesque homines cogerent, in primis pannosos, perditisque moribus, quippe hi magistris carent, a quibus erudiantur, cum nobiles, divitesque abunde habeant. Atque ut eos magis, magisque in id impelleret, praeter tot alia, ex divinis, inquiebat, operibus, illud certe quidem divinissimum; operam, industriamque cum Dei Filio in animarum salutem conferre. Super haec opusculum exaravit, in quo ex sanctorum Ecclesiae Patrum doctrinâ pia monita, ac nonnullae praeces de iis, quae sane acerba, et aspera ab hominibus Christus pertulit; atque haec omnia cum in Sodalium conventibus palam legerentur, mirum profecto, quantum audientium animos incenderent ad Dei amorem, et animarum salutem.

Illud autem vel maxime optabat HIPPOLYTUS, ut ii, quos ad Domini disciplinam fingendos curabat, et filiorum loco habebat, non disjuncti, sed consociati, quantum quidem fieri posset, degerent, tum ut alii alios ad virtutem mutuo excitarent, tum praesertim ne per vias vagantes ex hominum, qui aliter sentirent, congressu quidquam de pietatis studio remitterent, seque aliquâ animi labe inquinarent. Huic malo cum, quantum in se erat, provisum vellet HIPPO-

LYTUS, constitueral, ut diebus festis mane post pias ex more exercitationes in Sodalitatis aede habitas unum in locum vel intra, vel extra urbem omnes convenirent, ibique diurnas Deiparae Virginis preces recitarent, aut pia inter se colloquia sererent. Vergente autem in vesperam die HIPPOLYTUS ipse in amplum, amoenumque pratum eos ipsos deducebat, ut ibi puerili aliquo, innocuoque lusu animum aliquantisper relaxarent, pilâ, vel saxeis ludentes lamellis, quod HIPPOLYTUS ipse interdum facere haud dubitabat; et qui palmam vicisset, illud unum compendii referebat, ut nonnullas sibi haberet salutationes Angelicas, aut quid aliud hujusmodi. Ita HIPPOLYTUS apis matinae more, modoque vel ipsos lusus in aliquod animi commodum vertebat. Statâ vero horâ dimissis lusibus, omnes unâ simul convenire jubebat, ut manibus inter se impliciti, et plures dispertiti in orbes, atque alii alio, adverso etiam gradu quandoque incedentes, pias canerent cantiunculas, atque adeo caelestis instar militiae exsultarent in Domino, eumque collaudarent. Exinde eodem ordine, eâdemque modestiâ, quâ illuc incesserant, in Sodalitatis aedem revertebantur, unde post pias ex more exercitationes domum repetebant, cum tam bene, ac religiose dies festos transegissent. Hac mirâ agendi ratione permoti homines, atque allecti, difficile dictu est, quam multi undique affluerent, qui sese in HIPPOLYTI disciplinam traderent, quos ipse perbenigne exceptos ad virtutem fingere studebat.

Accedebat et illud, quod HIPPOLYTUS veritus, ne quidquid Sodales diebus festis in pietate profecerant, profestis vero evagati amitterent, nonnullos designaverat, qui tunc officinas, aliaque circumirent loca eorum vitae rationem exploraturi, et si quos forte

quidquam peccare deprehendissent, ad se referrent, ut eos in tempore moneret. Ad haec eorum cuique aliquid in hebdomadâ legendum praestituebat, uti caput ex gestis sanctae Katharines Senensis, aut aurei operis *de imitatione Christi*, quod plurimi, ut par est, faciebat, et secum semper habere volebat.

Res dum se ita habebant, atque omnia recte, et ex ordine procedere videbantur, Cacodaemon tantae virtutis invidus, et aegerrime ferens, tam opima sibi subtrahi spolia, dissensiones Sodales inter HIPPOLYTI excitavit, ut praeter numero paucos, reliqui omnes ab eo secesserint. Quid vero HIPPOLYTUS? Nihil omnino animo fractus, sed omnia ad Dei voluntatem referens, ab incepto, ut posset, minime destitit; quin immo dicere solebat, quod si vidisset Sodalitatem ferro, flammisque vastari, seque ab omnibus derelinqui, nihil tamen permoveretur, quippe qui paratus omnia aequo semper animo perpeti, quaecumque tamdem eventura. Quae quidem animi firmitas, et voluntatis suae cum divinâ consensio eo etiam major tunc temporis in HIPPOLYTO visa, quo vividior menti immissa divinitùs lux, ne Joannis cujusdam mortem tantopere doleret, quem ut pote ejusdem et aetatis, et virtutis primogeniti loco habebat, et potissimum Sodalitatis praesidium fore putabat; siquidem humanae res non eo prosequendae amore, quamvis optimo, et religioso, ut ex earum jacturâ animi tranquillitas perturbetur.

Tum enimvero infestissimus humani generis hostis initum consilium ad irritum cecidisse videns, aliis uti armis, alios moliri dolos, et HIPPOLYTI fidem quatuor per annos, perque duos alios ejus tentare spem, ut, si posset, vel in fide labantem, vel spe dejectum haberet. Accessit eo, quod divinis etiam

spoliatus solatiis, quidquid boni ageret, tam graviter, ac moleste, dicere ut rectissime posset: *Tribulatio, et angustia invenerunt me, et fuerunt mihi lacrimae meae panes die, et nocte.* Atque haec omnia eo etiam acerbiora, et graviora, quo diuturna magis, et vehementia, quae tamen HIPPOLYTUS tam bene, ac viriliter sustinuit, ut Daemonis fallacias plane detexerit, petitionesque sollerter declinarit, et caelestium rerum fastidium multâ prece superarit. Nam Satanae sollicitationibus tamdem abactis, eo caelestis gaudii rore perfusus, maxime cum sacram concionem aliquando audiret, ut vena in pectore disruptâ, mortem obiisset, nisi divinitus servatus.

Neque jam frustrata spes, quam in Sodalium secessione omnem HIPPOLYTUS in Deo collocaverat; siquidem eorum numerus ita deinceps crevit, ut multo amplior quaerendus locus, qui eos caperet.

Haec dum animo agitabat HIPPOLYTUS, Sodales, quibus ab sanctissimo *Salvatore* nomen, sacram eorum aedem HIPPOLYTO obtulerunt, et simul Sodalitatis ejusdem hetaeriarcham summo consensu renuntiarunt. HIPPOLYTUS excepit, haud tamen sanctae Luciae Sodalitatem omnino reliquit; sed impositâ curâ tum animarum Rectori, tum spectatissimis feminis, quae pueros, puellasque christianae legis elementa docerent, illud unum sibi reservavit, ut Feriis sextis de nocte asperrimos Christi Jesu cruciatus ibidem ex more recoleret. Verum sexto vix mense exacto Sodales iidem HIPPOLYTUM eorum hetaeriarcham perpetuâ etiam vita constituerunt.

Hoc interim temporis spatio, anno scilicet MDXC., cum HIPPOLYTUS quintum supra vicesimum aetatis annum ageret, tanta annonae caritas invaluit, quâ Italia tota afflicta, vexata. Tum enimvero adspexisses,

(miserabile visu !) quam plurimos montanos homines , et agrestes ex circumjectis montibus , et urbibus ad Florentiae portas confluentes, (siquidem justis de caussis urbem ingredi nequaquam licebat ,) qui grandi confecti macie, et pelle vix ossibus adhaerente, adeo fame laborabant, ut non pauci per inediam e vitâ etiam discederent. Hippolytus horum miseratus sortem, eorumque malis quam maxime permotus, tanto caritatis igne succendi visus est, ut si de suo non posset, aliquid tamen ex iis, quae ad victum plane necessaria, libenter sibi detraheret, tum vero ab piis, divitibusque hominibus pecuniam, panem , vinum , aliaque cibaria quaeritando comparabat, quo famelicos aleret, et simul egenas adolescentulas vestibus muniret. Quare vidisses HIPPOLYTUM rebus hisce valde onustum ad eos alacriter itare, cibos praebere, recreare, hortari, ut patienti animo eorum ferrent angustias, et inter haec divinae legis praeceptionibus imbuere, ac suprema etiam morientibus officia persolvere, juxta ac si eorum patronus, vel parens potiùs amantissimus, prorsus ut adstantes a lacrimis temperare nequaquam possent. Quod HIPPOLYTUS, idem profecto ejus exemplo non pauci ex Sodalibus.

Neque jam remissior horum ipsorum caritas in aegrotos, afflictosque cives. Nam non levem dé suo quisque pecuniae vim conferentes, vel nuptui tradebant periclitantes virgines, vel illorum aes alienum dissolventes, qui rei familiaris angustiâ solvendo non essent, eos e carcere emittebant, vel etiam domum ipsam in valetudinarium convertebant, ibique aegrotantibus inopiâ pressis opportuna suppeditabant remedia, immo nec pauci hoc idem praestabant domibus conductis. Horum tamen omnium origo, et fons a-

ctuosa HIPPOLYTI caritas, qui nihil admodum praetermittebat, ut quà re, quà verbis egenis, et aegrotantibus opem, quam posset maximam ferret, atque ad id ipsum alios etiam magnopere excitaret. Ita Sodalitas haec, HIPPOLYTO impulsore, et duce, adeo Sodalium numero aucta, et pietatis studio vigens, nihil ut desiderari ultra posse videretur.

Ecce autem novae mali Daemonis artes, nova consilia, qui non modo HIPPOLYTUM tentationum impetu per se vehementer urgere, verum etiam Sodalium ipsorum operà in eum uti, quo faciliùs ab incepto dimoveret. Isti enim, qui duos jam per annos HIPPOLYTUM hetaeriarcham libenter habuerant, subito tumultuari, atque animo, et voluntate ab eo dissidere, obtendentes damnum, quod Sodalitati HIPPOLYTUM inferre opinabantur, tum etiam suspicionem, quae haberi jure poterat, ne ille tamdem Sodalitatem sibi esset vindicaturus, qui tot jam haberet alumnos, et sectatores. Itaque dicteriis, conviciis eum insectari, factis etiam offendere, dum HIPPOLYTUS tacite, ac patienter omnia ferebat, iisque etiam ferenda suadebat, qui ei etiamnum fideles. Cum tamen nihil lenitate, facilitate proficere posse videret, id consilii iniit, ut tacite discederet, eosque derelinqueret.

Qui tunc vicariam Florentiae Archiepiscopi gerebat operam, ut turbas hasce sedaret, dissensiones tolleret, quae rudium, et simplicium animos non leviter offendere plerumque solent, statuit proximo die festo Sodales omnes convenire, dissidentes partes audire, et quidquid aequum sibi visum decernere. Itaque statâ die cum ille venisset, nonnulli ex Sodalibus assurgentes tam vana, futilia, nulliusque ponderis in HIPPOLYTUM evomuerunt, eâ praesertim

temeritate, et audaciâ, ut sibi ipsi securim injecisse visi sint. At vero HIPPOLYTUS ubi patientissimis auribus omnia audierat, nihil admodum respondit, neque aliis permisit, ut eum ab objectis purgarent, sed solummodo flexis genibus claves Archiepiscopi Vicario porrigens: « Non has, inquit, neque muros, sed animas modo quaero, easque ad Dei gloriam. » Quâ ex re Vicarius idem HIPPOLYTUM temere incusari plane noscens, Sodalium audaciam acriter redarguit, iisque meritas minitatus poenas, quas fortasse repetiisset, nisi HIPPOLYTUS eorum excusasset imperitiam, quâ digni veniâ videbantur. Itaque statutum, ut HIPPOLYTUS sex menses inibi remaneret adhuc, siquidem interea temporis opportunior repertus locus.

Tertio tamen vix mense exacto Vicarius idem, qui controversias quasdam componendas susceperat exortas Sodales inter sancti Dominici, cui a *Palatiolo* cognomen, eorum aedem HIPPOLYTO attribuendam statuit, quia dum lis adhuc sub judice, Sodalibus in eam convenire minime licebat. Quam ob rem exasperatis animis unius ex partibus, quae potentior, ex metu, ne eorum dissidia homini alieno essent tamdem profutura, nonnulli in HIPPOLYTUM conspirarunt, ut primo die festo eum, ejusque Sodales ad eorum aedis fores exspectarent, atque ab ingressu prohiberent. Illuc igitur ubi HIPPOLYTUS cum suis venit, illi iracunde nimis, et audacter eum exprobrare coeperunt, quasi in alienum invadere vellet, et verbis etiam minas addere. HIPPOLYTUS omnia pacate excepit, comiterque respondit, se non arbitratu suo, sed ex obedientiâ id facere. Deinde vero humilitate, ac lenitate tantum apud eos valuit, ut non modo eorum animos placarit, sed etiam quam maxime permoverit; quin immo unus ex iis ad pedes prostratus multis cum lacrimis veniam

ab HIPPOLYTO enixe petierit. Quare in Sodalitatem quidem exceptus, sed Sodalitas ipsa ex Daemonis arte brevi admodum imminuta, cum Sodales ad quadraginta, nescio quod pietatis studium caussantes, alio abierint.

Per id temporis HIPPOLYTUS gravissime aegrotans ex malignâ febri cum pustulis, Christi corpus incredibili cum pietatis sensu in viaticum suscepit. Cum vero se Deo precibus omnibus commendaret, et simul obsecraret, ut ejus animam benigne exciperet, ecce Apostolorum Princeps, cujus eo die anniversaria gratulatio, sese conspiciendum HIPPOLYTO dedit, eumque tangens sanitati restituit, ut Medicus adveniens vel maxime obstupuerit, reque cognitâ, Medico longe peritissimo eum usum esse affirmaverit.

Hoc morbo relevatus HIPPOLYTUS, ut palmas palmis cumularet, multimodis ab Satanâ rursus lacessitus, et maxime libidinose, ut ne vel ipsas quidem Caelitum imagines posset adspicere, quin turpia, atque inhonesta menti statim occurrerent. Haec certe quidem dies, noctesque magnopere vexabant, sollicitabant HIPPOLYTUM, qui tamen tum eorum contemptu, tum multâ praesertim ad Deum prece ex tam molesto, diroque conflictu victor tamdem discessit. Exinde vero plures ei divinitùs objectae oculis species, quibus non parum recreatus.

Verum quia *multae tribulationes justorum, ut conformes fiant imagini Filii Dei*, iccirco aliis deinceps, et quidem diuturnis, gravibusque morbis tentatus HIPPOLYTUS. Nam praeter ischiadem, ex quâ acerbissimis cruciabatur doloribus, continens intervenit febris ab acri orta humore, quo a vertice ad talos affectus. Huc accedebat, quod in eas conjectus esset angustias, nihil ut quidquam aliud domi habe-

ret; nisi stramineam culcitram, nonnullos pios libros, et vetustam Christi Jesu e cruce pendentis imaginem, ac praeterea quod tantulum cibi suppeteret, quo vitam vix vivere, nequaquam tamen convalescere posset. In tantâ porro morbi acerbitate, in tam magnâ rerum omnium inopiâ, num quae in HIPPOLYTO molestia? num quae lamentatio? Immo vero serenâ semper fronte, hilarique vultu quidquid adversi obveniret, id omne tamquam singulare munus Deo acceptum referebat. Hac de caussâ adeo macie confectus, ac viribus destitutus, ut pellis, et ossa totus, neque per se stare ullo modo posset; singulis tamen diebus festis mane, et vespere nonnullorum Sodalium ope, qui eum suffulciebant, ad Sodalitatis aedem venire non desinebat, ibique eâ dicendi vi, et copiâ concionabatur, ut audientium animos ad Dei amorem, et admissorum criminum dolorem vel maxime excitaret. HIPPOLYTUS duos circiter annos in sancti Dominici Sodalitate permansit, quo temporis intervallo Sodalitas haec tum Sodalium frequentiâ, tum pietatis ardore mire floruit: nam lite tamdem diremptâ, eam derelinquere debuit, nec sine magno cum eorum omnium dolore, qui in ejus disciplinam sese dederant.

HIPPOLYTI tamen virtutis fama cum in dies incresceret, Sodales sancti Laurentii, qui eum propiùs habere exoptabant, ejusque monitis magis juvari, hetaeriarchae munus ei ultro obtulerunt. HIPPOLYTUS anteactis rerum conversionibus satis edoctus, oblatum munus tum denique se excepturum respondit, ubi illi antea spopondissent, se omnino servaturos, quidquid ipse faciendum statuisset. Quod cum praestitissent, HIPPOLYTUS delatum munus recepit, dum aegrotans adhuc lectulo decumberet. Quid tum inde? hic

etiam zizania inimicus homo serenda curavit. Nam primo vix habito conventu, Sodalium voluntas adeo immutata, ut HIPPOLYTI nomen ad sacrorum Antistitem statim detulerint, affirmantes, se Sodalitatis dominos esse, eamque ab HIPPOLYTO iccirco derelinquendam, quia non rite hetaeriarcha renuntiatus. Haec videns HIPPOLYTUS secessit in Sodalitatem sanctae Margaritae, unde tamen eâdem de caussâ discedens, remigravit ad sanctae Luciae.

Sed ne mensis quidem unus intercessit, cum eorum operâ, quibus ab Alexandro Cardinali Mediceo tam impense HIPPOLYTUS fuerat commendatus, tum quoque ejusdem Cardinalis studio, qui Romae degebat, attributa ei fuit Sodalitas sancti Sebastiani, cui a *Biniis* cognomen, quae et aedium laxitate, et loci naturâ multo opportunior. Quamquam vero ob tot rerum conversiones, locorumque immutationes HIPPOLYTI Sodalitas decrescere, et defervescere debuisse videretur, longe tamen aliter accidit; siquidem tanti hominum concursus ad eum concionantem fiebant, ut non pauci extra sacrae aedis fores subsistere conarentur. Verumtamen non ita post multo dissidiis Sodales inter exortis, adeo dissociati animi, ut aedificium funditùs fortasse corruisset, nisi HIPPOLYTUS prudenter admodum dissidentes animos ad concordiam, pacemque revocare studuisset. Neque jam defuere viri, morum ceteroquin probitate, et doctrinae laude commendati, qui HIPPOLYTI, ejusque Sodalium agendi rationem palam improbare ausi sint, qui tamen re penitùs cognitâ palinodiam postea canere non dubitarunt.

Hippocratis interea alumni frustra jam experti salutaris artis praesidia, quibus HIPPOLYTI morbum, quo hic tentatus, plane abigerent, auctores ei fuerunt,

ut in Pisarum colles veniret, in eam ingressi spem fore, ut salubrioris aquae balneis inibi usus omnino convalesceret. Paruit HIPPOLYTUS, qui tamen dum corporis valetudini consulebat, haud immemor animarum salutis, primo quidem privatis hortationibus, ac monitis homines a vitiis deterrere, deinde vero hoc idem publice facere coactus ex eorum multitudine, qui eum concionantem audire exoptabant. Neque jam parvi pietatis fructus ex HIPPOLYTI sermonibus, cum plurimi ad meliorem frugem sese receperint, cujus rei memoria ibidem adhuc exstat.

HIPPOLYTUS sanitati restitutus, ac Florentiam reversus aliis angi curis, aliis premi angustiis. Nam patre jam demortuo, alendae totius familiae onus cum ad eum rediisset, nimium quantum dies, noctesque adlaboraret, ut sustinendo sufficeret. Haud tamen res ex sententiâ cessit: nam sericas texens telas, tametsi omnem omnino diligentiam adhiberet, ut serica textilia recepti bombycis pondus adaequarent, nonnihil tamen decrescere reperiebat, ignarus, utrum id ex Daemonis arte, an aliunde obveniret. Haec porro caussa, cur invidi, et maledici HIPPOLYTO detraherent, ejusque integritatem, honestatem in suspicionem vocarent, ut, si possent, sericorum pannorum institoris animum ab eo alienarent, qui tamen nullam iis fidem praebebat, quippe cui HIPPOLYTI virtus satis explorata. Verum HIPPOLYTUS, ut omnem omnino averteret caussam, quâ etiam citra culpam obloquendi occasionem aliis dare videretur, textrinâ, quam adhuc coluerat, arte penitùs abdicatâ, eam tractare coepit, quâ exstantia, ac luxuriantia fila, tum etiam nodos, aliasque sordes e laneis pannis recens ex textrino prelo, oleoque etiamnum imbutis leniter, patienterque parvulis avelleret forcipibus, tametsi multo minus lucri ex ea referret.

Huc accessit, quod pater moriens non parum aeris alieni reliquerat, cui dissolvendo cum HIPPOLYTUS non esset, vehementer angebatur, et Bononiam cogitabat, in eam adductus spem fore, ut labore, et industriâ aliquanto amplius ibi lucraturus, posset paullatim dissolvere. Haec secum agitans, dum aliquando templum bene mane peteret, ut ex more adesset sacro, et simul Deum obsecraret, significare vellet, quid in tantâ animi fluctuactione agendum, obviam habuit amicum, cui iterum, iterumque sciscitanti, curnam cogitatione defixus? rem tamdem aperuit. Tum ille bono eum animo esse jussit, ea ad se nomina transcribere, quandoquidem soluturus omnia; ac praeterea domum reversus septuaginta circiter farinae modios misit, quo se HIPPOLYTUS sustentaret in eâ victus inopiâ, quâ tunc vel maxime laborabat.

Sed jam pluribus, iisque piis hominibus, qui inceptum ab HIPPOLYTO opus magis, magisque in dies vigere laetabantur, mens ab Deo injecta, ut non leve pecuniae pondus conferrent in aedificium aliquod excitandum, ubi HIPPOLYTUS fixum, ac stabile domicilium haberet, et quidquid censuisset, libere, omnique jure posset perficere. Locum seligendi optio data HIPPOLYTO, qui cum egenos maximopere diligeret, partem horti designavit Fratrum Franciscalium, qui Minores observantes, et quorum aedes omnibus sacra Caelitibus, quippe respondebat vico, cui a *Palatiolo* cognomen, ubi plerique egenorum degebant, ut hi eo etiam faciliùs accurrerent, quo magis vicinia loci illecti. Itaque ichnographiâ ab Architecto factâ, primus aedificio impositus lapis pridie Id. Octobres an. MDCII., et quidem ex voluntate CLEMENTIS VIII. Pont. Max. sub tutelâ sancti Francisci ab Assisio, tametsi HIPPOLYTUS exoptasset sub sanctae

Luciae, cujus in aede Sodalitatis cunabula, unde *Sodalitas sancti Francisci doctrinae christianae* postea appellata. Fabris porro operi instantibus, primus ibi Sodalium conventus habitus IV. Non. Octobres insequentis anni, die sancto Francisco sacrâ; qui quidem conventus et frequentissimus, et religiosissimus, cum ad unum omnes caelesti pane refecti. At aedificii mole nondum absolutâ, ut frequentari tuto posset, conventus alter in Dominicam Palmarum proximam an. MDCIV. differri omnino debuit.

Hic porro dies tantopere expectatus, mane quidem laetitiis omnibus affluens, vespere autem molestiâ adspersus. Tunc enim, et quidem aliquanto seriùs, quam consueverat, HIPPOLYTUS, ejusque Sodales ad relaxandum paullisper animum extra pratensem Portam juxta muros, et arcem versus cum venissent, miles, qui in statione erat, tantam hominum multitudinem vesperascente jam caelo ibi despiciens, tum milites ceteros, tum praecipue ejusdem arcis Praefectum pro officii ratione admonuit. Hic autem rei nescius, ac veritus, ne quis tumultus, ne qua conspiratio, tormentum bellicum parari, explodique jussit, cujus ferreo globo in saxeam illiso molem, assula inde revulsa, et in dexteram adolescentis manum resiliens gravi cum dolore eum laesit. Perterriti omnes huc, et illuc diffugere, interea dum HIPPOLYTUS nihil commotus animum omnibus addere, et ex eventu augurari victoriam, quia die Dominicâ Palmarum obtigerat.

Neque omen falsum habuit HIPPOLYTUM. Namque etsi FERDINANDUS I. magnus Etruriae Dux praepostere de re edoctus quidquam in Sodalitatem edicere posse videretur; cum tamen HIPPOLYTUS, multis antea precibus Deo fusis, hac de re certiorem per litteras fe-

cisset Cardinalem Mediceum Romae degentem, hic statim litteras ad FERDINANDUM misit, quibus rem ad veritatem aperuit, neque solum ei quam maxime commendavit HIPPOLYTUM, verum etiam gravissima haec attexuit verba: « Si plures haberet ipse Duces, « ac milites, qui ejus muros, ac praesidia defende- « rent, unum tamen reperiri HIPPOLYTUM, qui homi- « nes ab inique factis avertens, spiritalem utique « arcem, at multo magis instructam, et munitam ei « parabat, qua ditionem universam, Florentiam in « primis optime defenderet. » Et vere: nam quo magis civilis ipsa respublica bene moratis affluat civibus, Deumque timentibus, eo etiam pacatior, et florentior, ut et leges vigeant, et omnigenùm scelerum monstra longe exsulent, et vero etiam iis, qui praesunt, debitus deesse numquam videatur honor. FERDINANDUS porro, ubi Cardinalis Medicei litteras accepit, rei veritate cognitâ, et HIPPOLYTI virtute perspecta, statim in sui gratiam eum recepit, et praecipuum quoque ejus patronum se futurum professus fuit. Quod verbis, idem et re: nam hic ipse Celsissimus Princeps tantam de HIPPOLYTI virtute opinionem conceperat, ut Patri Cardinali amplissimo aliquando, HIPPOLYTO abstante, subridens dixerit: « Hic « (HIPPOLYTUS) ex teterrimis, quos habeam, latroni- « bus, quippe qui plebeios homines hortationibus, et « exemplo a criminibus deterrens, efficit, ut meae « vacent triremes. Cui Cardinalis: Utique, at prae- « mio, non poenâ dignus. » Tum HIPPOLYTUS caput demittens humiliter ait: *A Deo cuncta.*

Hac sedatâ procellâ, quae certe non levis, alia, et quidem longe gravissima adversus HIPPOLYTUM conflata, quae Sodalitatem tot laboribus partam radicitùs convellere posse videbatur. Curatores enim, et

fabri, qui in Sodalitatis aede excitandâ eorum operam posuerant, rati se aliquâ ex parte eidem praefuturos, ubi viderunt, omnia ex HIPPOLYTI sententiâ, et voluntate geri, statim de HIPPOLYTO obloqui, ac dictitare, eum, utpote hominem nullis imbutum litteris, minùs idcirco idoneum reperiri, qui Sodalitatem per se ipse administraret. HIPPOLYTUS, qui se nihili faciebat, munus quidem certe abdicasset, si per eos, quibus parere debebat, id sibi licuisset.

Hoc interim spatio Cardinalis Mediceus, qui in primis HIPPOLYTO semper faverat, et LEO jam XI. Pont. Max., cum obiisset, ii omnes, qui HIPPOLYTO tantopere adversabantur, rati opportunum sibi tempus oblatum, quo cogitata perficerent, eum instituerunt ad Alexandrum Martium Mediceum, qui Florentiae Archiepiscopus in LEONIS XI. locum fuerat suffectus. Sed irritae eorum spes, saeviitque latratus in auras. Ille enim, qui HIPPOLYTI virtutem, ac prudentiam probe noverat, voluit, ut ipse unus Sodalitati praeesset, eamque moderaretur. Ut se res ita haberet, HIPPOLYTUS tamen, qui omnem omnino obtrectationis, et contentionis caussam amovere vellet, statuit abdicare munus, sperans, Deum ipsum Ministros magis operi idoneos suffecturum. Hac mente Archiepiscopum adiit, cui cum omnia aperuisset, suamque imperitiam excusasset, quâ aliis potiùs obedire, quam praeesse deberet, ad ejus pedes prostratus claves praebuit dicens, ut quidquid liberet, decerneret. Tum ille humilitatem, modestiamque in HIPPOLYTO vehementer admiratus, in ejus vero adversariis temeritatem, et audaciam, HIPPOLYTUM perbenigne excepit, dixitque, ut ipsemet Sodalitatis regimen, se Patrono, retineret, et simul jussit, ne quid in posterum fieret, nisi ex nutu, et voluntate HIPPOLYTI. Illi

enimvero, qui HIPPOLYTO tantopere refragabantur, ubi omnes sibi interclusos aditus perspexere, statim injuriis, dicteriis eum persequi coeperunt, et labores in Sodalitatis aedificio excitando praetexentes, aes alienum hac de caussâ conflatum HIPPOLYTO delegarunt. Quod cum HIPPOLYTUS palam fecisset, statim pecuniâ collatâ nomina solvit.

Eo tandem deductâ re, ut pacata cuncta, et tranquilla, HIPPOLYTUS etsi nonnulla jam praescripserat, quibus omnia recte, atque ex ordine in Sodalitate procederent, tunc tamen multo plura, eaque meliùs etiam digesta, Deo auspice, exaranda suscepit, ut quae arbor tenella adhuc, et in alieno consita solo tam uberes ediderat fructus, longe uberrimos gigneret, ubi adulta, atque altis in suo defixa radicibus.

Et primo quidem HIPPOLYTUS, ut dissensionibus, quae tam facile in hominum coetibus oriri solent, omnem praecluderet aditum, statuit, ut unus solummodo universae Sodalitati praeesset, qui suos tamen haberet adjutores, quorum consilio, et operâ juvari posset in decernendis, expediendisque negotiis, quae ad Sodalitatem pertinerent. Deinde vero pueris, atque adolescentibus pro sua cuique aetate classem constituit, quaeque in singulis quibusque classibus, et quâ etiam ratione a Magistris docenda praescripsit, ut illi christianae legis praeceptionibus mature imbuti, possent deinde rectum salutis iter percurrere. Sua etiam classis iis erat, qui casu in Sodalitatem advenissent, quos tamen hortari praeceperat, ut eam ventitarent, et pietatem ex animo colerent.

Cum vero HIPPOLYTUS novas semper excogitaret rationes, quibus Sodales ab omni peccandi occasione abduceret, voluit, ut vertente aestate a Paschate, quo die Christus Jesus devictâ morte revixit, ad IV.

Non. Octobres, die sacrâ sancto Francisco, adventante nocte omnes in Sodalitatis aedem convenirent, ibique pias aliquas exercitationes peragerent, ne tunc temporis diurnis vacui curis per urbem vagantes aliquid offenderent.

Eâdem sane de caussâ constituit, ut ab Kal. Januariis ad postremum Bacchanaliorum diem singulis diebus festis primâ nocte in Sodalitatis aede, praeter plures pias exercitationes, varii, dulcesque fierent musicorum instrumentorum concentus, et suaves simul divinarum laudum ad harmoniam cantus, quibus adstantium animi adeo delectabantur, ut harum rerum dulcedine allecti frequentissimi accurrerent. Quare nocturnas hasce vigilias hamum, et escam appellabat HIPPOLYTUS, quibus homines ab illicitis abducti magis, magisque in virtute proficerent.

HIPPOLYTUS sapienter sane, ac prudenter suis adolescentibus permiserat, ut per Bacchanaliorum dies secreto aliquo in loco pugillatorio folle luderent, per eos nimirum dies, cum adolescentes ipsi in salutis discrimen faciliùs vocantur ex eorum hominum temeritate, qui per id temporis largiùs, ac licentiùs scelera sceleribus cumulare non dubitant. Cum tamen vidisset, nonnullas semper oriri dissensiones, quidquid impensae in id fiebat, conferendum postea statuit in egenorum coenam iis apponendam postremis Bacchanaliorum diebus. Quae quidem coena si primo sane parca, larga deinde, et splendida, ut dapes ad eos etiam mitterentur, qui non venissent. Nempe res haec tam plena pietatis, plena miserationis, et exempli visa est, ut divites, et nobili genere nati, et vel ipsi Episcopi, magnique Etruriae Duces non modo pecuniae vim in eam conferrent, verum etiam mensae ministrarent, omnibus ceteroquin exemplo prae-

eunte HIPPOLYTO, qui Christum Jesum in egenis spectabat.

Dum autem vivos juvaret, mortuos interea derelinquere ne videretur, praescripsit, ut feria v., et postremo Bacchanaliorum die Sodales omnes ad sacram accederent synaxim defunctorum animabus suffragaturi, quae piaculari adhuc in carcere excruciantur.

Ad haec per Pentecostes sollemnia in Sodalitatis aede splendide ornatâ Christum Jesum in Eucharistia latentem per quadraginta continentes horas publicae venerationi exponendum curabat, quo tempore et magni hominum concursus, et sacrae conciones ab celebrioribus oratoribus inibi habitae. Hic vero per hosce dies an. MDCXVI. accidit, ut succensus ignis excedere coeperit sacri ornatus partem, et multo longiùs progressurus videretur tum ex materiâ ad comburendum aptâ, tum praesertim, quod ignis nimis jam proximus laqueari ex linteâ telâ. Extimuere omnes, haud tamen HIPPOLYTUS, qui crucem, ubi plura sacra lipsana recondita, quam secum semper deferre consueverat, manu objicens igni, alterâ vero flammam comprimens, statim restinxit, quin majus damnum afferret.

Erat etiam quotannis statuta dies ad honestam animi oblectationem, cum Sodales Florentiâ Fesulas venirent, quâ tamen die si quid ad corporis levamen, cetera vero, ne dicam omnia, ad animae commodum referebantur.

Postremo ne quid ad perfectam virtutem deesset, HIPPOLYTUS nonnullarum rerum invexerant usum, quae ad humilitatem, suique contemptum admodum valerent, uti spineae coronae, aliaque hujusmodi, quibus tamen perquam moderate, ac prudenter ille utebatur ad poenam aliquam infligendam, si quid

forte peccatum. At non defuerunt, qui haec valde improbarint, atque etiam e Sodalitate discesserint. Postea vero quam HIPPOLYTUS haec eadem ipsa ex sanctorum Ecclesiae Patrum doctrinâ, et exemplo se facere ostendisset, regressi omnes, et quidquid primo redarguerant, probare deinde, et actu etiam perficere visi sunt.

Haec summatim praescripta, et canones, quibus HIPPOLYTUS suam voluit Sodalitatem munitam. Jam vero si quis omnia attente consideret, plena sapientiae, ac prudentiae, plena aequitatis, ac providentiae, plena utilitatis, et consilii vel facile reperiet. Nihil scilicet opportunius, ac praestabilius vel ad cereos puerorum animos pietate, ac morum honestate mature imbuendos, vel ad rudes, agrestesque homines ab divinae legis ignoratione, atque a vitiis revocandos, vel denique ad cujusque aetatis, et conditionis homines in officio retinendos, et per inceptum virtutis iter tuto, citatoque gradu deducendos, dici ut merito possit, HIPPOLYTUM divinitùs delectum *eruditorem insipientium, et magistrum infantium.* Quare haec omnia, quae HIPPOLYTUS suis Sodalibus praescribenda censuit, si tunc omnium suffragiis, et Florentini Archiepiscopi auctoritate, nunc vero accurate rursus expensa LEONIS etiam XII. comprobata decreto edito XV. Kal. Septembres an. MDCCCXXIV.

Aliter tamen sensere Daemones, qui haec ipsa torvis oculis adspicientes, et majore semper in dies irâ excandescentes, quaenam non tentarunt, quae non egerunt, ut HIPPOLYTUM si minùs ab incepto deterrerent, at perturbarent? Singulis enim fere noctibus modo sub horribilium brutorum animalium specie sese visendos ei praebebant, modo horrisonos ululatus, strepitusque edebant, modo ejus libros contumeliose

in terram projiciebant, lucernamve exstinguebant, ne vel legere, vel precari amplius posset. At HIPPOLYTUS signo Crucis sese muniens eorum latratus, et conatus rejiciebat, irritosque reddebat, prorsus ut, Deo juvante, incolumis semper, victorque evaserit.

Sodalitatis hujusce ab HIPPOLYTO constitutae fama non diu intra Florentiae fines se continuit, sed foras erumpens longe pervasit. Itaque Volaterras, Pistorium, Lucam, Perusium, Mutinam, aliasque quamplures in urbes certatim evocatus, ut eam ibidem etiam constitueret. Neque vero id solum perfecit HIPPOLYTUS, verum etiam quamdiu his ipsis in locis moratus, incredibile dictu est, quos, quantosque ediderit poenitentiae fructus, cum ubique vitia emendata virtutibus.

Quae HIPPOLYTUS pertulerat adhuc per eos importata, qui maledico dente eum carpere, ejusque Sodalitatem funditus convellere nitebantur, plura certe quidem, et gravia; longe tamen plurima, et gravissima, quae posthac ferenda, quaeque eae nimirum fuerunt spinae, quibus intertexta vestis, quam Christus Jesus ei induendam dederat. Ea enim odii, invidiaeque tempestas, quam tamen quatuordecim annis ante HIPPOLYTUS palam, aperteque praedixerat, et quidem diuturna, ac multiformis in eum, ejusque Sodalitatem excitata, quâ omnia misceri, immo potiùs penitùs labefactari, ac dirui posse videbantur. Plurimi enim ex Sodalibus aliorsum, atque HIPPOLYTUS agebat, rem accipientes, Sodalitatem non satis recte ab eo administrari, se vero multo rectiùs illam administraturos praedicabant, et simul virtutis opinionem, quam omnes de HIPPOLYTO habebant, multimodis imminuendam, ejusque auctoritatem elevandam curabant. Itaque pro eorum ingenio agentes contemnebant, quidquid HIPPOLYTUS optime statuisset, eum-

que utpote nimis austerum perstringentes adolescentium animos sibi conciliare, ab HIPPOLYTO vero alienare studebant. Quod spectabant quo faciliùs etiam assequerentur, palam dictitabant, HIPPOLYTUM elate jam, superbeque se gerere, cum nobilibus viris versari, neque tam faciles conveniendi aditus petentibus dare, nihil praeterea opus esse eum adire, ejusque voluntatem exquirere, ne quid molestiae ei afferretur, neque vel a precatione, vel a studio avocaretur. Neque deerant homines, graves ceteroquin, ac nobiles, qui perperam edocti acriùs in HIPPOLYTUM concitabant, quos jam tam male in eum animatos noverant.

Nihil profecto inexpertum reliquit HIPPOLYTUS, ut paternis monitis, hortationibus, et quâ posset ratione componeret animos, mala, quae dissensiones secum ferunt, averteret, rumores, qui pluribus offensioni erant, sedaret, neque ulla amplius detrahendi occasio rudibus, imperitisque hominibus daretur. At cum videret, nihil admodum lenitate, nihilque patientiâ proficere, ut quod posset, remedium malo afferret, pro auctoritate, quâ omnium Praeses pollebat, ab Sodalitatis gubernio eos tandem removendos censuit. Numquid tamen deferbuit invidia, et prava in HIPPOLYTUM voluntas, quâ eum deprimere, et Sodalitatem evertere connitebantur? Immo vero non jam perplexe, et cuniculis, sed palam, et libere eum carpere, fictisque criminationibus laedere; et cum nihil adhuc assequerentur, ultra progressi dictitare, ejus sermones non ex catholicâ constare doctrinâ, et saepe etiam ineptiis perspersos; neque defuit, qui dicere ausus fuerit, HIPPOLYTUM Florentiae eodem dicendi genere uti, quo haereticorum Ministri in Germaniâ.

Itaque caritatem, et animarum bonum isti obtendentes, sacrum Inquisitorem, qui ex Dominicianâ Fa-

miliâ, adierunt, eumque rogarunt, ut tot publicis malis, et offensionibus, quas ipsi opinabantur, aliquâ ex parte vellet prospicere. Ille autem rei omnino inscius semel, atque iterum nonnullos ex eâdem sacrâ Familiâ misit, qui HIPPOLYTUM in Sodalitatis aede concionantem audirent, ad seque referrent. Ubi vero ab his unâ voce accepit, nihil ab HIPPOLYTO, nisi omni laude dignum proferri, et tum denique plane cogniturum, si ipsemet audisset, idem fidei Quaesitor statim HIPPOLYTUM ad se venire jussit, ab eoque caute quaesivit, quisnam, et cujus conditionis esset, et undenam suos hauriret ipse sermones. Ad omnia aperte, et humiliter respondit HIPPOLYTUS, addens praeterea, se utpote illiteratum sane hominem, et simplicem nihil boni dicere per se posse, sed omnia ab Deo proficisci, qui ejus magister, et codex. Inquisitor tunc HIPPOLYTI dicta vehementer admiratus, eum vel maxime commendavit, animum addidit, ut incepto instaret, seque ei praesto semper futurum promisit, dum interea acriter redarguit eos, qui tam falsa in HIPPOLYTUM fuerant commentati.

Hi tamen, Inquisitor non multo post demortuo, rem statim ad eum detulerunt, qui ejus in locum fuerat suffectus. Enimvero hic, ut rem penitiùs per se ipse cognosceret, ex improviso Sodalitatis aedem adiit, ubi HIPPOLYTUM de Eucharistiae Sacramento tam bene, sapienterque loquentem invenit, ut se tenere nequaquam potuerit, quin obviam iret HIPPOLYTO, ubi hic finem loquendi fecerat, eumque peramanter amplexaretur. Neque eo contentus, concionari idem ipse voluit in Sodalitatis aede die Dominicâ proximâ, eâ mente, ut et HIPPOLYTUM, et quidquid hic diceret, laudaret, comprobaret. Ita exordium ab ejus laudibus hausit, cujus initium: « Aureum illud os (HIP-

« POLYTI;) ex quo superiore Dominicâ audistis *etc.* » Post haec eo amicitiae vinculo cum HIPPOLYTO conjunctus, ut tametsi aetate gravis, neque tam prope Sodalitatis aedem degeret, persaepe tamen hanc aditaret, ibique vel divinam rem faceret, vel Sacramenta Sodalibus ministraret, vel etiam concionaretur: tantâ afficiebatur voluptate ex HIPPOLYTI adspectu, ejusque sermonibus.

At qui HIPPOLYTO tam perfracte adversabantur, magis, magisque exasperati, non modo italica epigrammata atro felle suffusa in eum evulgarunt, ejusque nomen ex publicis Sodalitatis tabulis delerunt, verum etiam nonnulli ex his conficta, quae ei affingebant, crimina Scribae manu exaranda, et testibus pretio corruptis confirmanda curarunt. Inde vero haec ipsa ad Alexandrum Martium Mediceum Florentiae Archiepiscopum detulerunt, ut malis, quae ipsi commentabantur, pro ejus auctoritate vellet providere. Hic tamen, qui HIPPOLYTUS virtutis nequaquam nescius, eorum postulata rejecit, eosque exprobravit, atque in posterum multo vehementiùs etiam Sodalitati favere visus est.

Re apud Archiepiscopum infectâ, ad Pontificis Maximi Legatum penes magnum Etruriae Ducem confugerunt, qui ubi cum HIPPOLYTO colloquutus, eos perinde dimisit, quin eorum voluntati quidquam inserviret. Tot porro diverticulis cum nihil admodum profecissent, COSMUM II. magnum Etruriae Ducem adeundum putarunt, qui et ipse, re accurate perpensâ, non modo eos repulit, sed severe etiam in eos animadvertisset, nisi HIPPOLYTUS eorum poenam deprecari conatus esset.

Tum vero oleum, et operam hactenus perdidisse sentientes, nihil jam sibi reliquum esse intellexerunt,

nisi ut rem ad PAULUM V. Pont. Max. deferrent, eique supplicem porrigerent libellum, in quo virus omne jam animo conceptum in HIPPOLYTUM evomerent. Itaque fecerunt; atque ad tot alia in eum conficta crimina, illa etiam attexuerunt, quod HIPPOLYTUS conventicula Florentiae haberet, juventutis mores depravaret, et Theologi personam in concionando ageret. Pontifex Maximus rem plane ignorans, primo de eâ anquisivit, postea vero ab ipso COSMO II. per litteras certior veri omnino factus, eorum querelas, et spes irritas, inanesque reddidit.

Dum tot dissensionum fluctibus jactatus HIPPOLYTUS, et invidiae mole paene obrutus, Lauretum interea cogitavit, ut domum inviseret, ubi Deipara Virgo ab Angelo salutata, ejusque praesentissimum hisce in angustiis praesidium imploraret. Porro in itinere, quâ Tolentino Lauretum, et nominatim ad *collis floridi* jugum hominem membris contractum, ac languescentem respexit, qui ad arboris radices stipem emendicabat. HIPPOLYTUS tali visu summopere commotus, atque hominis sortem misertus, ex equo desiliit, et cruce, quam supra jam commemoravimus, ei àdmotâ, ecce subito vidit illum assurgentem, et libere gradientem, qui gratias ei agere vellet. Sed HIPPOLYTUS, qui nihil tale avebat, cum equum illico conscendisset, citato gradu iter fuit prosequutus. Lauretum inde cum advenisset, et in sacrâ Deiparae Virgini aede mysteria ibidem peracta acerrimâ cogitatione recoleret, lacrimis adeo diffluens, et tantâ caelestium rerum dulcedine perfusus, nihil ut, quae agerentur, senserit, atque itineris socio postea significarit, se prae laetitiâ moriturum, si Deus non adjuvisset, atque ab Deiparâ impetrasse id, cujus caussâ illuc venerat.

HIPPOLYTUS domum repetens suorum inimicorum iram, invidiamque nihil deferbuisse reperit; quin immo accidit, ut aliquando multâ jam nocte duo perditissimi juvenes domum venerint, eumque rogarint, invisere vellet aegrotum morti proximum, qui eum alloqui exoptabat. HIPPOLYTUS, cui nihil caritate potius, statim unâ profectus; sed ubi ad Arni pontem perventum, illi ipsi in HIPPOLYTUM irruentes projecerunt in flumen, unde tamen Deiparae Virginis, et sancti Francisci ope imploratâ, integer incolumisque illico evasit.

Neque jam multos post menses in aliud conjectus discrimen. Nam plures palearum sarcinae, quas a nobili femina acceperat dispertiendas egenis, qui humi cubabant, quasque HIPPOLYTUS repositas in stabulo habebat, quod ejus subjectum cubiculo, cum ignem intempestâ nocte concepissent, domum totam succensurae videbantur. HIPPOLYTUS ex gravi, densatoque fumo experrectus, et discrimen, in quo versabatur, perspiciens, Christi Jesu imagine arreptâ, ubi eum rogavit, ut ab imminenti periculo servaret, statim respondentem audivit: *Noli timere, siquidem nihil inde tibi mali.* Et sane, exstincto igne non modo nullâ nigredine affectus murus, unde flamma erumpebat, verum etiam, quod maxime mirum, nihil admodum chartaceae laesae fenestrae cubiculi, ubi erat HIPPOLYTUS, tametsi succenso igni valde proximae.

HIPPOLYTUS etiamsi tot maledictis vexatus, tot calumniis appetitus, Mutinam tamen fuit evocatus Sodalitatis inibi constituendae gratiâ. Quid boni ibidem egerit vel ex hoc uno intelligi facile potest, quod Mutinensis Dux litteras ad COSMUM II. dederit eum rogans, ut quam HIPPOLYTO facultatem ipse fecerat, quâ octo, aut decem dies Florentiâ abesse posset, ad plu-

res prorogaret. Cosmus Mutinensis Ducis votis utique annuens cum ad quadraginta distulisset, HIPPOLITUS per id temporis ter in hebdomadâ concionari publice debuit ex hominum concursu; siquidem vel ipsi adolescentes per Bacchanaliorum dies HIPPOLYTUS potiùs de divinis loquentem, quam publica adibant spectacula. Neque leves poenitentiae fructus, cum et ii, qui in vitiorum coeno jamdiu misere volutabantur, HIPPOLYTUS verbis permoti, tamdem ex eo emergere visi sint.

Mutinâ Parmam evocatus, eo etiam venisset HIPPOLYTUS nisi ex Sodalitatis rationibus Florentiam redire coactus. Nam eo abeunte ejus adversarii disseminaverant, HIPPOLYTUM idcirco Mutinam contendisse, sive quia in exilium eo missus, sive quia illuc ipse exsulaverat ex metu poenae ei infligendae, et simul Sodalitatem eo absente penitùs jam exstinctam. Ubi vero qui HIPPOLYTUM tam male oderant, Mutinâ redeuntem, et magnis etiam honoribus auctum conspexerunt, invidiâ rursus aestuare, et disrumpi visi sunt. Itaque ut atram eorum bilem aliquâ ex parte effunderent, dicteria in eum, veteresque calumnias dum instaurare jam cogitabant, eorum interea linguam occludit, conatusque retudit COSMUS ipse II., qui in sui tutelam HIPPOLYTUM, ejusque Sodalitatem recipere palam fuit professus. Hinc enim omnis dissidiorum origo sublata, et discordes animi tamdem aliquando ad concordiam revocati, ut plurimi etiam facti poenitentes in Sodalitatem rursus adsciri voluerint, quae non parum Sodalium numero in posterum aucta, quemadmodum HIPPOLYTUS jam ante praenuntiaverat.

Haud tamen sese continuit Daemon, sed extrema expertus, multo vehementiùs, quam antea HIPPOLYTUM ad inhonesta excitare, ut vento, frondium crepitu,

et vel ipso ciborum adspectu ad id uteretur. Quare cibum saepe derelinquere cogebatur HIPPOLYTUS, ut animum precatione reficeret, corpus vero flagellis acriter caederet, vel quid aliud hujusmodi perageret, quo subdoli hostis artes, et mille nocendi vias irritas faceret. At non ita post multo exoratus Deus ab tam molestis, gravibusque sollicitationibus ita HIPPOLYTUM eripuit, nullus ut posthac in eo carnis stimulus, nulla turpis cogitatio.

Atque hic hominum, Daemonumque vexationes finem habere visae sunt, HIPPOLYTI tamen patientia aliis, atque aliis tentata modis. Namque unum ex ejus temporibus acri humore affectum, ut ex aure surditate laboraret, ex pectore vero ulcere, unde acerbissime dolebat; quod quidem ulcus in cancrum postea cum abiisset, per quatuordecim fere annos aequo animo tulit HIPPOLYTUS, neque cuiquam ex amicissimis aperuit, nisi sub vitae exitum.

HIPPOLYTUS morti jam proximus, quo major etiam Dei cultus, et amplior Sodalium, suorumque filiorum in pietate progressus, militiam *spiritalem*, seu *caelestem*, (sic enim appellabat,) constitutam voluit, quo faciliùs iidem ipsi iis omnibus obsisterent, quae militant adversùs animam. Haec autem in eo erat, ut quisque ex Sodalibus, qui huic militiae nomen dedisset, nonnulla pietatis opera ex arbitrio praestaret, uti, ex gr., perditos juvenes in Sodalitatis aedem deducere, flagellis se caedere, jejunium servare, miserationis opera exercere, aliaque istiusmodi, nihil tamen horum, nisi ex conscientiae Moderatoris permissu. Cum vero HIPPOLYTUS nosset, quantum virtutum documenta, et sancta valeat aemulatio, statuerat, ut quisque Dominico die haec eadem bona opera in hebdomadâ ab eo peracta ceteris adstantibus, caute tamen, ac

prudenter aperiret. Neque jam nescius ostentationem ac superbiam vel facile in virtutis actus irrepere, eosque vitiare solere, provide, sapienterque HIPPOLYTUS ipse praescripserat, quâ ratione, et formulâ id citra ullum offendiculum facere quisque posset, sed solummodo ad Dei gloriam, sui ipsius salutem; atque aliorum exemplum. Hinc porro uberrimus sane fructus: nam Sodalitas quodammodo revirescere visa fuit cum tironum numero, qui in eam confluxerunt, tum etiam pietatis studio, quod penes omnes invaluit; siquidem aliorum exemplo, acri veluti injecto stimulo, excitati tepidi ad Dei cultum, et in virtute progressum.

Neque hîc defuere, qui HIPPOLYTO semper refragari studentes, quidquid ille hac super re statuerat, palam, neque levi cum imperitorum hominum offensione improbandum, ac rejiciendum dictitarent, quippe quod jactantiae nescio quid, superbiaeque referret. Tum enimvero HIPPOLYTUS, ut omnem omnino religionis scrupulum averteret, non modo per se ipse, sed etiam per celebrem, peritissimumque sacrae Theologiae doctorem, rumores hosce tam falsos, atque inanes comprimendos, difflandosque curavit. Hic enim publicâ concione in Sodalitatis aede habitâ, cum ex sacrorum Bibliorum, et sanctorum Ecclesiae Patrum auctoritate, tum quoque rationum momentis ex penitissimâ Theologiâ haustis, quae hac super re ab HIPPOLYTO praescripta, omni ex parte optima, ac probanda ostendit, praesertim cum tam prudenter, provideque perficerentur. Quod ipsum progressu temporis iidem illi sensere, qui primo reprobarant, ubi attentiùs, omnique partium studio semoto ad trutinam revocarunt.

Huic spiritali militiae acceptum potissimum refe-

rebat HIPPOLYTUS, quod tandem perfecisset opus ab anno MDCXI. susceptum, sed temporum inclinationibus intermissum, ut Sodalitas quatuor haberet Presbyteros, (*Capellanos* vocant,) qui in ejusdem Sodalitatis aede et sacra facerent, et Sacramenta ministrarent, et conciones haberent, aliaque peragerent, quae Sodalibus usui esse possent. Nam Deus ipse mentem injecit COSMO II., ceterisque ex eâdem augustâ Mediceorum domo, ut omnes magnam pecuniae vim in id conferrent, cujus ex censu idonea cuique ex his Presbyteris merces dari posset. Quâ ex re tantâ HIPPOLYTUS laetitiâ captus, ut et quam maximas Deo gratias ipse ageret, et simul alios ad id adhortaretur inquiens: *Vicit Deus, Deus utique vicit;* et senis Simeonis verbis usus, exclamabat: *Domine*, si tibi acceptum, *dimitte nunc servum tuum in pace.* Et sane HIPPOLYTI votis Deus annuit, quippe paucis post diebus eo correptus morbo, quo tandem decessit.

Sed antequam ad id aggrediamur, non abs re fore ducimus, nonnulla singillatim de ejus virtutibus leviter attingere, iis praesertim, quae in primis in eo eluxerunt, ne Commentarius hic nimis mancus fortasse videatur. Et primo quidem acre, perpetuumque bellum jam ab ineunte aetate corpori indixit HIPPOLYTUS, ut effervescentes animi motus comprimeret, et carnem adversus spiritum conspirantem impacto veluti compede subditam haberet. Nam praeter operosam artem, cui assidue instabat, ac labores, et curas, quas ad animarum salutem, et Sodalitatis bonum deinceps suscipiebat, parco sane, parabilique utebatur victu, ut secundario pane, ac frigidâ contentus, nisi quandoque vel caepas, vel porros, vel sativos cucumes, vel aliqua apponeret poma,

quae ejus valetudini nequaquam obesse ajebat. De hac tamen tam paupere mensâ aliquid persaepe sibi detrahebat, quod dispertiret egenis, iisque cibis quamvis vulgaribus, quo magis tamen insuaves, ingratosque palato redderet, vel nullum condimentum, vel etiam malorum punicarum cortices, aut quid aliud hujusmodi ingerebat. Neque jam diebus solummodo ex Ecclesiae praecepto, sed ter etiam in hebdomadâ jejunium religiose servabat, et praecipue Feriâ quâque sextâ, ut memoriâ coleret, quae tam dira, et acerba Christus Jesus moriens fuit perpessus, in quae tam pie ferebatur; nisi etiam dixeris, perpetuo servasse, cum tam modice semper vesceretur, nihil ut hac in re concedere visus viris illis omni sanctitatis laude praestantibus, qui inhospitas olim Thebaidis, ac Nitriae solitudines inter ferarum monstra incolebant. Ad haec aliis, atque aliis rationibus sese HIPPOLYTUS afflictabat: namque aspera, et acuta cilicia, ferreos etiam, gravesque annulos nudo corpore gestabat, et in singulas noctes flagris se dire caedebat. Scilicet ubi tres, ad summum quatuor horas somno ad necessarium defessi corporis levamen dederat, vel humi cubans, vel scabris in asseribus, statim surgens genibus flexis haerebat in asseris, vel sellulae labro, aut in calculis, quos in tibialia insertos sub genibus habebat, ut et perincommode consisteret, et obrepentem somnum avertens reliquum noctis tempus vel precando, vel legendo traduceret.

Quod si quando haec omnia perficere HIPPOLYTUS non posset, sive quod aegrotis adstaret, sive quia praesentibus Sodalitatis negotiis prohiberetur, tunc Fesulano in secessu duplicabat. Ibi enim aediculam habebat, quo saepe secederet, cujus parietes variis

distincti picturis, quae Christi Jesu cruciatus, aut mortis imaginem exhiberent. Atque hic HIPPOLYTUS ab hominum oculis, convictuque remotus, saepiùs in diem sese flagris afflictabat, et precationi, rerumque caelestium commentationi continenter instabat, ubi aliquantulum quietis corpori tribuerat vel humi, vel in culcitrâ ex foeno, aut paleâ, quam campestrem lanam appellabat. Quo quidem vitae genere adeo delectabatur HIPPOLYTUS, ut ibi perpetuo permansisset, nisi Deum pro Deo, et ex quiete negotia ad Dei gloriam, et animarum salutem iterum suscipienda putasset. Hoc tamen tam asperum vitae genus conscientiae Moderator ratus non leviter obesse posse HIPPOLYTO, cujus jam obnoxia valetudo, et corpus tot laboribus defatigatum, jussit, ut de eo aliquantulum remitteret, cum ille tricesimum aetatis annum ageret. Paruit utique HIPPOLYTUS; sed quod ex parte remisit, compensare ex aliâ studuit tot laboribus, vigiliisque, quas vel in Sodalitatis, vel in aegrotantium, vel in animarum commodum suscipiebat.

At corporis afflictationes quamvis asperae, ac diuturnae, cum parvi tamen, aut nihili etiam faciendae, si sui ipsius despicientia, et voluntaria non accedat demissio, cui tota spiritalis aedificii moles incumbat, oportet, mirum profecto, quantum virtutem hanc in primis colendam curaverit HIPPOLYTUS. Si de se loquentem audisses, haec ejus trita verba. « Nihil ipso vilius, nihil abjectius, immo nihil ni-« mis; foetidum se esse vermiculum, vas vacuum, « et vento solummodo inflatum, aridam sane fi-« cum in plateâ derelictam, non idoneum, nisi « qui bona opera vitiaret, omnium omnino homi-« num iniquissimum, dignum propterea, qui in sex-

« centos conjiceretur inferos ; et dum aegrotabat, « iccirco ab Deo afflictari ajebat, ut sese aliquando « tamdem reciperet. » His plane similia in epistolâ, quam nobili Lucensi viro, qui eum hospitio exceperat, dedit pridie Nonas Maias an. MDCIX., ubi, praeter alia plura: « Scias, inquit, velim, te do« mo excepisse hominem, si genus spectes, vilem, « et abjectum; si censum, adeo inopem, ut ex iis, « quae divinae providentiae, et piorum hominum li« beralitati accepta in dies refero, alenda mihi fa« milia, quae mecum iis numero constat hominibus « quibus olim Jesu Christi una cum ipso; si doctri« nam, humaniores litteras ne levissime quidem at« tigi; si denique artem, eam persequor, quâ telas « peccatorum ordiar, quae quidem semper admitto, « et alia aliis coagmentans, perdifficile mihi fore « sentio, ut ab iis aliquando tamdem me expediam. » Cujus epistolae subscriptio: *Servus inutilis in Christo* etc.

Jam si tam demisse de se, de aliis vero hominibus tam optime semper sentiebat, ut pios, morumque honestate praeditos praedicaret; et si quem forte palam peccantem nosset, et caritatis pallio obducere, et ignorantiam excusare, et vero etiam dicere consueverat, se multo pejorem, eum vero multo meliorem futurum, si quae sibi Deus, eadem illi auxilia fuisset impertitus. Quare omnium omnino precibus indiscriminatim sese enixe commendabat, quasi omnium minimus, et nonnullos etiam selegerat, qui eum admonerent, si quid forte peccasse cognovissent. Atque haec omnia non ore solum, et specie, uti saepe assolet, ne quae humilitatem prae se ferre videntur, re vero ipsâ superbiam foveant, sed eâ vultus modestiâ, eo totius

corporis habitu, eoque gestu, et vel ipso vocis flexu usurpabat, ut ex animo proferre plane constaret.

Quod HIPPOLYTUS verbis, multo etiam magis factis. Nam si quando dicteriis, conviciis, injuriisque affectus, tantum aberat, ut vel minimum commoveretur, ut potiùs vel maxime gauderet, et Magistros se habere diceret, qui nullâ acceptâ mercede prudentiam docerent, quâ peccata devitaret; quin immo veniam flexis genibus ab iis nec raro petebat, perpetuasque etiam preces, Jesu Christi objecto exemplo, pro iis ipsis ad Deum fundebat. At vero si quid audiret, quod in sui ipsius, vel Sodalitatis laudem redundaret, dici vix potest, quam ingratum, ac molestum id ei accideret, et quam cito, ac sollerter alio tunc sermonem detorqueret, simul professus, se nihil admodum boni agere, sed omnia ab Deo proficisci, ad cujus gloriam etiam referenda. Ita Sodalitatis suae et parens, et praeses, haberi tamen, atque hoc appellari nomine nimis aegre ferebat, et ut, quâ posset ratione, prohiberet, cum id muneris abdicare saepiùs, at frustra semper tentasset, puerulos ipse sibi erudiendos sumebat, eosque et signo crucis sese munire, et fidei nostrae mysteria, quae addiscerent, ac memoriâ tenerent, tam bene, ac patienter docebat, ut eum paene dixeris puellascere. Quare ejus conscientiae Moderator testari minime dubitavit, HIPPOLYTUM ex tot, tamque recte factis ne vel levissimo quidem inanis gloriolae motu tentatum.

Hanc porro virtutem non modo carissimam in primis habuit HIPPOLYTUS, verum etiam in Sodalium, suorumque discipulorum animis scribendam, ab iisque omni studio colendam semper curavit, ne ab rectâ virtutis semitâ tam facile deflecterent, sed inof-

fenso potiùs pede eam insisterent. Et sane quam bene hac in virtute HIPPOLYTI Sodales progrederentur vel ex hoc uno intelligi facile potest, quod cum aliquando nobiles quidam viri unum ex his, et quidem honesto loco natum, et juvenili aetate, ad lanienam deduxissent, ibique rogassent, vellet, nec ne emptum vervecem ad Coenobium Fratrum Capucinorum, quod extra urbem, deferre, ille confestim rejecto pallio sibi humeris imposuit, et per mediam urbem eo detulit. Quod Coenobitae illi cum vidissent, statim exclamarunt: « Ecce tibi HIPPOLYTI documentum. »

Ex hac autem ipsâ tam abjectâ de se opinione illa oriebatur in HIPPOLYTO observantia, quâ in singulos quosque homines, non modo in eos, qui ei praeerant, ferebatur, et simul perpetua cura, quâ nihil umquam ex se, sed omnia ex prudentum virorum consilio agenda sibi esse putabat, et maxime conscientiae Moderatoris, cujus ex dicto ita pendebat, ut ne pecuniam quidem sponte oblatam, et victui necessariam acciperet, nisi ejusdem voluntas accessisset. Quae quidem res tam alte insederat animo, ut, MARIA MAGDALENE DE PAZZIS sciscitante, num aeternam assequeretur ipsa salutem? statim HIPPOLYTUS vicissim ab eâ quaesierit, utrum in agendo suam, an aliorum potiùs voluntatem fuisset sequuta? Cui cum illa respondisset, se nihil suo arbitratu, sed vel in minimis Praesidum sententiae acquievisse, tum HIPPOLYTUS: « Gratias Deo age, dixit, quoniam ita gerens nihil « mali admittere potueris. » Quo responso non parum sacra virgo recreata, quae quamvis graviter aegrotans, ad clathratum exedrium lectulo asportari voluit, ut de divinis cum HIPPOLYTO colloqueretur, neque ita post multo ad caelestes Agni nuptias fuit evocata.

His septa repagulis, quae tamquam lilium inter

spinas crescat, ac floreat, oportet virtus, quam intacta, atque integra in HIPPOLYTO vigere visa est! Neque enim solum corpus tam dire afflictabat, ne caro umquam adversùs spiritum concupisceret, et simul tam demisse de se sentiebat, nihil ut sibi confisus, spem omnem in Deo collocaret, sine quo continens nemo esse potest; verum etiam singulos quosque quam vigilantissime interclusos habebat aditus, ne quis pestilentis aurae flatus, qui in hominum convictu tam saepe perflat, forte irrumpens, vel leviter pudorem laederet. Itaque HIPPOLYTUS omni curâ custodiebat cor suum, ex quo vita procedit, ne inde exirent cogitationes malae; sepserat aures suas spinis, et ori suo fecerat ostia, et seras, ne quid umquam audiret, aut diceret, unde vel minima pudicitiae jactura; maxime vero avertebat oculos suos, ne viderent vanitatem, sed semper recta, ne qua turpis menti objiceretur species, unde virgineus flos languesceret. Quare puellas, quas ipse christianae religionis mysteriis antea imbuebat, aliis postea edocendas dimisit, et feminas, cujusque tandem conditionis, atque aetatis essent, non alloquebatur, nisi cum necessitas, aut caritas urgeret, et quidem gravi semper, brevique sermone, oculisque ad modestiam compositis, et numquam remotis arbitris. Ita scilicet HIPPOLYTUS, nullo suscepto voto, pretiosam hanc margaritam inter mundi illecebras, atque in hominum convictu, congressuque, et contra etiam multigenas Daemonis artes, gravesque assultus tam bene, integreque servavit, ut non modo ex ejus et dictis, et factis, verum etiam ex oculis, vultuque ipso plane emicaret. Cujus virtutis amore capti quamplures, eam vel avolantes in solitudinem, vel etiam in terrâ Aegypti, et in medio Babylonis HIPPOLYTI exemplo colendam susceperunt.

Nihil igitur mirum, quod ex ejus conscientiae Moderatoris sententiâ florea in funere imposita capiti corona, intemerati pudoris argumentum.

Quae fuerit HIPPOLYTI patientia, ac perpetua animi constantia tot in acerbitatibus, molestiisque devorandis, quibus vel a domesticis, vel ab alienis, vel ab Daemone, morbisque vexatus, conflictatus, ex iis, quae jam commemoravimus, satis, superque intelligi posse videtur. Haud leviora tamen, quae ex rerum omnium inopiâ ei toleranda, praesertim cum defuncto patre omnis familiae caussa ei constitit, ut praeter matrem nepotes quoque ex fratre, neptesque sustentandi. Invigilabat ipse quidem victu; at quidquid lucri ex eá, quam factitabat, arte reportaret, satis vel tenuissimo cultu nequaquam esse posse constabat. Itaque in eas persaepe adductus angustias, ut neque oleum haberet, quo lucernam noctu accenderet, neque alterum, quo jam sordidum exueret indusium, neque etiam quidquid opus esset, quo vitam toleraret. Poterat utique ille non parum opis ab iis habere, quibus et carissimus, et probatissimus, si modo eam, quâ tantopere premebatur, egestatem iis ipsis significasset. Verum tantum aberat, ut quidquam vel sibi, vel consanguineis postularet, quin potiùs omnem dabat operam, ne quâ ex parte ejus mendicitas interluceret, ut vestes sibi ipse reficiens, easque sedulo custodiens, munde semper indutus incederet. Quod cum nonnulli aliquando carperent, quasi non tam parvo viveret, HIPPOLYTUS, ut rem per se ipsi cognoscerent, vestis, quâ superindutus, laciniam attollens ostendit, quam tritae, ac refectae, quas interiùs gestabat, simulque ait, se egenum Christi Jesu exemplo, non vero sordidum, et si ille uti paupertatem ita et sordes docuisset, se utique sordidum etiam fu-

turum. Eo nimirum amore in paupertatem ferebatur HIPPOLYTUS, ut cum partem aedium, quod unum sibi ex paternis bonis obvenerat, fratribus dedisset, conductas ipse incoleret, et viro cuidam nobili, qui cum neminem haberet, cui moriens bona relinqueret, heredem ex asse HIPPOLYTUM scribere, eique nummos etiam argenteos ad tria millia statim numerare vellet, respondit, se egenum vivere, et mori malle. Et certe moriens nonnullos solummodo pios reliquit libros, eosque usu detritos, et tam exiguam, vilemque supellectilem, nihil ut egentius; quae quidem omnia Sodalitas sibi omni jure vindicavit, tamquam amantissimi parentis hereditatem, ejusque sacra lipsana. Hac eâdem ipsâ de caussâ HIPPOLYTUS egenos semper in deliciis habebat, eosque magis quam nobiles, divitesque colebat, suamque Sodalitatem ex opificibus, atque humilibus constare voluit, auspice, ac patrono sancto Francisco, qui virtutem hanc tantopere adamavit, atque ex Sodalitatis praescriptis illud etiam, nihil ut bonorum ipsa possideret, sed quidquid opus esset, id omne collatâ pecuniâ fieret. Namque ita semper animo paratus, ut quantum per se posset, cum agisset, cetera ab Deo exspectaret, omnem sollicitudinem projiciens in eum, quoniam ipsi cura est de nobis. Neque jam spe deceptus HIPPOLYTUS; siquidem non raro dum summâ rerum necessariarum vel maxime premebatur angustiâ, atque omnia humanitùs sibi deesse prospiciebat, ea divinitùs subsidia excepit, quae numquam omnino cogitasset. Jam si HIPPOLYTUS a pueritiâ ad extremum usque vitae stadium aequam semper in arduis servavit mentem, et adversa quaeque tam patienter perferre visus est, nemo profecto non intelligit, eâ virtute cumulate praeditum, quae *opus perfectum habet*. Et

sane, inquiebat HIPPOLYTUS, uti fluminum lapides eo expolitiores, ac nitidiores, quo saepiùs, ac vehementiùs huc, illuc jactati fluctibus, atque eluvionibus asportati, ita vir justus vexatus, exagitatus magis, magisque ab omni labe detergitur, atque in virtute progreditur.

Quamquam virtutum chorus quî umquam in HIPPOLYTO non vigeret, nec quam maxime enitesceret, cum omnium alma nutrix ejus eximia in Deum caritas? Hac nimirum HIPPOLYTUS tanto flagrabat opere, ut non modo singula quaeque divinae legis mandata religiose servaret, quod unum magnum amoris erga Deum argumentum, verum etiam conscientiae latebras ter in die scrutatus, ab omni vel levissimâ culpâ se immunem praestandum curabat; quod bonorum omnium maximum hic in terris omni jure nuncupabat. Ita cum aliquando vir auctoritate, et gratiâ potens nescio quid ab eo expeteret, quod cum Dei cultu non admodum consentiret, eique renuenti multa minatus, quae actu etiam perfecit, ut in maximas eum redegerit angustias, HIPPOLYTUS omnia potiùs mala perpeti maluit, quam Deum vel minimum offendere.

Super haec et statis horis quâ voce, qua mente perdiu precabatur, et tot alia pia opera in diem peragebat, et, quod certe majus, sive textrinae operaretur, sive deambularet, sive comederet, sive quid aliud operis factitaret, numquam nisi mente in Deum conversus, et ignita amoris jacula in eum identidem effundens, nihil ut neque ageret, neque diceret, neque cogitaret, quod ad Deum non referret. Quapropter exemplo Abrahae coram Deo semper ambulabat, ut esset omni virtute perfectus, idque omnino fieri oportere monebat. Quemadmodum enim, inquiebat

ipse, inculte nimis, ac temere ageret, si quis aulà Principis exceptus, alio se mente, et cogitatione converteret; quanto magis, si quis hac in mundi machinà, quae Deum ubique adstantem exhibet, non eum perpetuo spectet, qui mare, qui terras, qui caelum numine complet, et a quo *immensum gloriae pondus?* Atque hac divini amoris vi tam vehementer urgebatur HIPPOLYTUS, ut *quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum*, ita, multoque etiam magis *sitiret anima ejus ad Deum fortem vivum.* Itaque si primo ter in hebdomadà, postea vero etiam quotidie ad sacram mensam accedebat, eoque pietatis sensu complectebatur eum, quem unum sibi elegerat ex millibus, et in quem ferebatur unum, ut ex vultu etiam emicante adstantes vel maxime commoveret, neque ita raro sacram hostiam e Sacerdotis manu ejus in os avolantem exciperet.

Neque jam intermittebat HIPPOLYTUS, quin maximam ad eos etiam adhiberet pietatem, qui domestici Dei exsultant in glorià, et fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates. Et primum quidem omnium ad Deiparam Virginem, quam potissimum semper coluit, et in quam amoris, atque observantiae significationes, quas posset, maximas perpetuà vita edere visus est. Deinde vero ad singulos quosque Caelites, eos in primis, quos sibi patronos adsciverat, et quorum praesidio vel maxime nitebatur. Quare et Alvernum montem adiit (*), et Senas pedibus medià aestate venit, quo magis suam erga sanctum FRANCISCUM, et sanctam KATHARINEN religionem ostenderet.

(*) *Alvernus mons* unus ex Apenninis, iccirco religione sacer, quia inibi sanctus FRANCISCUS AB ASSISIO stigmatis divinitùs signatus, jacet in Etrurià in agro Florentino decem millia passuum a Burgo sancti Sepulcri ad Septemtrionem in finibus Pontificiae ditionis.

Camaldulum etiam (*) , aliaque sacra invisit loca, et ubique non singularis modo pietatis, sed mirae etiam prudentiae, et flagrantissimae in homines caritatis altiùs impressa vestigia reliquit, quippe in itinere et pericula quaeque provide devitarit, et permultos homines a perditis moribus ad honestam vitae rationem deduxerit.

Qui tantâ erga Deum, haud minore certe quidem in homines caritate, quae ex eâ, tamquam ex proprio, perennique fonte veluti suâ sponte profluit. Nempe HIPPOLYTUS eo in animarum salutem studio ferebatur, ut in id curas, labores, vigilias, cogitationes denique omnes perpetuo conferret, neque quidquam inexpertum relinqueret, quo cujusque aetatis, et conditionis homines ad religionis cultum, Deique amorem traduceret. Quod etsi satis, superque per se constaret, tum vero idem ipse aperte significavit nobili cuidam viro, qui eum Mutinae degentem hospitio exceperat. Ille enim cum videret HIPPOLYTUM mensae numquam discumbere, sed stare, et ubi quatuor, aut sex bucceas comedisset, statim paullisper deambulare, ab eo quaesivit, cur ita? Tum HIPPOLYTUS familiariter respondit, se animarum salutis desiderio adeo teneri, ut neque ab eo conquiescere, neque per noctem etiam, ubi somno excussus, facere

(**) *Camaldulum* est Coenobium in Etruriâ in agro Florentino prope Arnum a Florentiâ triginta millia passuum altissima inter Apennini juga,

Qui *fremit illicibus . . . . gaudetque nivali*
Vertice se attollens pater Apenninus ad auras.

Coenobium hoc perinsigne, siquidem primum sacrae Eremitarum Camaldulensium Familiae ab ipso sancto ROMUALDO auctore constitutum, unde exstitere semper viri pietatis, ac doctrinae laude praestantes, atque amplissimis etiam dignitatibus honestati.

posset, quin mentem, cogitationemque ad id referret. Optasset quidem ipse, ut omnes omnino homines, abjectis vitiis, virtutem colerent, Deumque diligerent; sed cum videret, eos passim in peccata temere delabi, non dolebat modo quam maxime, verum etiam quam acerbissime lugebat.

Huic autem malo, ut, quantum in se erat, provideret, non modo pueros, rudesque homines, adjutoribus etiam ad id idoneis sibi comparatis, christianae legis elementis mature instruere studebat, uti supra demonstravimus, sed et aegrotos quosque, quamvis dissitos, atque publicis in valetudinariis decumbentes invisere, solari, et carcere detentos, tum quoque capite damnatos ad admissorum criminum dolorem sollicite excitare, et intempestâ persaepe nocte iis omnibus, nec numero paucis, praesto esse, qui eum adibant, ejusque consiliis, monitis juvari exoptabant, mirum ut omnibus videretur, qui tamdem homo tenui valetudine, et corporis afflictationibus debilitatus, tot, tamque variis rebus sufficeret? At HIPPOLYTUS patiens, quam qui maxime, vel aestus, vel frigoris, vel famis, vel sitis, vel cujuscumque tamdem incommodi, sanguinem etiam, vitamque ipsam profundere paratus, ubi de animarum salute ageretur, quâ nihil ei potius, cetera quaeque posteriora ducebat.

At si id semper, tum vero ut cum maxime enitebatur, dum in Sodalitatis aede, vel alibi verba faceret, ut homines a vitiis deterreret, atque ad emendatiorem vitae rationem impelleret. Tam congruenter enim, et nervose ipse loquebatur, tam aptis sacrorum Codicum locis, tamque idoneis rerum imaginibus, et collationibus utebatur, ut cujusque intelligentia, et sensui sese accommodaret, ment ––ue per-

vaderet; neque ita raro fiebat, ut quae diceret, cum ea sibi uni quisque dicta putaret, animorum motus audientibus miscere, atque agitare videretur. Itaque dici vix potest, quot homines, et quidem ex his, qui diuturnâ peccandi consuetudine callum iniquitati obduxerant, neque ullo ampliùs conscientiae stimulo sollicitari videbantur, ex funesto, quo pressi, veterno in rectam salutis viam per HIPPOLYTUM restituti, et quam plures etiam, humanis rebus abdicatis, sacrae alicujus Familiae disciplinam, vitamque in Christo absconditam fuerunt amplexi. Quid mirum igitur, si undique confluerent viri, iique dignitatis etiam amplitudine, ac doctrinae, et pietatis laude praestantissimi, et vel ipse COSMUS II. magnus Etruriae Dux die sacrâ Parasceves in domesticum eum evocarit Sacellum, ut omnes HIPPOLYTUM de divinis loquentem audirent, et audientes obstupescerent, prorsus ut ab nonnullis *Jonas* alter, et ab Alexandro Medicco Archiepiscopo Florentino, qui postea LEO XI. Pont. Max., Florentiae *Apostolus* palam et dictus, et habitus. Quod quidem omni jure. Neque enim opificem, et illiteratum hominem haec omnia humanitùs, sed solummodo divinitùs agere posse omnino constabat; praesertim cum radianti saepe vultu, et veluti flammâ ignis ex ejus ore erumpente loqui visus, et quandoque etiam puerum Jesum adstantem haberet, qui verba in ejus os inderet, atque adeo *Deus ipse daret verba sua in ore ejus.* Neque jam minus valebat HIPPOLYTUS, si quem ex solo hortaretur, moneret, vel etiam nominatim tantummodo compellaret, quoniam vel paucis tamquam acuto gladio animos pervadebat, commovebat: tanta nimirum virtus in ore ejus.

Cum vero HIPPOLYTUS per alios etiam homines ani-

marum saluti consulere studeret, sancto CAMILLO DE LELLIS, qui Florentiam venerat, et quicum ipse familiarissime conjunctus, peropportunam domum attribuendam curavit, ubi ejus degerent Alumni, qui pro eorum instituti ratione animam agentibus praesto esse, eisque salutarem opem ferre possent. Dicam etiam, quod sane mirabile dictu, hanc in homines caritatem adeo HIPPOLYTO insitam, ut vel mortuus cum posset ratione, eos juvare, atque ad peccatorum, poenitentiam vellet adducere. Namque an. MDXCVI. quâ HIPPOLYTUS letaliter aegrotaret, suis mandavit Sodalibus, ac discipulis, ut, si forte moreretur, ejus cadaver componerent illorum instar, quae Florentiae visuntur in claustro sanctae Mariae novae, atque ita compositum visendum perpetuo exhiberent ad fores aedis Sodalitatis, ut si minùs voce, at miserando sui ipsius visu ad sanitatem, et recti rationem flagitiosos homines revocaret.

Verum quod mente jamdiu agitarat HIPPOLYTUS, et ad quod curas omnes, laboresque contulerat, actu tamdem, Deo auctore, ac duce, perfecit, ut quae tam actuosa in animarum salutem caritas, non exiguis modo suae vitae terminis circumscripta, sed perennis etiam, ac perpetua maneret. Haec nimirum ipsa in HIPPOLYTI Sodalibus, ac filiis deinceps emicare semper visa, et adhuc etiam vel maxime collucet. Isti enim eorum civis, ac parentis, nunc etiam patroni exempla aemulati, vestigia sectati, maximo cum civilis non minùs, quam christianae reipublicae commodo pueros, rudesque homines fidei mysteriis imbuendos, eosque ad religionis officia recte informandos curant, aliaque pia opera ex HIPPOLYTI monitis, atque praescriptis exercent, ut omnibus non levi virtutis incitamento sint. Ad haec omnia HIPPOLYTUS mo-

nitorum etiam silvam scripto reliquit, quae optima, ac saluberrima, quaeque cujusque conditionis hominibus usui esse possunt, si modo attente perlegant, et perlegentes perficiant.

Neque jam HIPPOLYTUS dum animarum saluti tantopere consulere, corporis interea necessitatibus opem ferre minime studebat. Immo vero hominum miseriis adeo commovebatur, quasi idem ipse perferret, neque solum cibum, quo egenorum famem leniret; sed et vestes sibi quandoque detrahebat, quibus eos nudos, ac frigore rigentes indueret. Ex iis porro, quae ad domesticas ejus levandas angustias liberaliter dabantur, quaeque non prius excipiebat, quam cui usui darentur, nosset, quidquid postea sibi supervacuum in diem putasset, egentibus statim dispertienda curabat. Si qua vero pecunia vel ab Sodalibus, vel aliunde collata, eâ HIPPOLYTUS quam occultissime posset, utebatur, vel ut periclitantibus prospiceret puellis, vel ut auxiliarias praeberet manus iis omnibus, tametsi male in eum animatis, qui inopiâ pressi vel emendicare erubescebant, vel frequentes eum adibant, et quorum turbâ semper circumfusus. Quod si quanto nihil admodum haberet, unde aliquam egentibus opem ferret, pecuniam sibi mutuo dari postulabat, ne quem vacuum, afflictumque abs se dimitteret. Neque aliâ sane de caussâ cum aegrotaret, cibis, ac remediis uti volebat, quae parvi haberentur. Ita extremo morbo laborans cum accepisset, jusculum quod augusta magni Etruriae Ducis mater ei quotidie mittendum curabat, ex capone conflatum, permoleste id tulit; siquidem ejus ex pretio plures inopes juvari posse ajebat : tam vehementer egentibus opitulari optabat.

Qui tam mirâ eloquendi vi, et copiâ, ut *argen-*

tum electum lingua ejus, aliis etiam, atque aliis charismatum donis affatim ab Deo cumulatus. Namque visus HIPPOLYTUS et caelesti luce circumfundi, et sensibus abalienatus in divina abripi, et occulta cordium scrutari, et futura praenuntiare, et res prodigialiter augere, et Daemones alio amandare, et quam plurimos gravissime aegrotantes vel precibus, vel signo crucis sanitati illico restituere; quae quidem omnia tot numero, ut ea hic singillatim commemorare instituti ratio nullo modo patiatur. Ex his tamen vel facile quisque intelliget, nihil profecto mirum, si omnes omnino, iique etiam in primis, qui vitae sanctimoniâ tunc temporis perinsignes, tantam virtutis opinionem de HIPPOLYTO haberent, ut eum coram, vel per litteras adirent, ejus se precibus enixe commendarent, ejusque exquirerent consilia, quibus in arduis, impeditisque negotiis felici sane exitu uterentur.

Sed HIPPOLYTUS jam caelo maturus, et tot laborum, ac bonorum operum mercedem accepturus, eo tentatus morbo, quo tandem decessit. Erat ille Fesulis VI. Kal. Novembres an. MDCXIX., cum Florentiam evocatus ab magno Etruriae Duce COSMO II., qui eum ad multam noctem detinuit. Inde discedens tantâ spirandi difficultate subito correptus, ut perquam aegre domum pervenerit. At postridie illius diei Fesulas redire coactus, iter illud, quamvis breve, nisi quatuor tamen horis, et magno cum dolore conficere non potuit. Morbo inibi ingravescente cum febris etiam interventu, adeo viribus destitutus, ut stare non ampliùs posset. Quare initum consilium, ut Kal. Novembribus Florentiam lecticâ repeteret, ubi ejus valetudini meliùs esset consultum. Eo asportatus, morbo magis etiam exasperato, non modo difficiliùs spirare, sed in vitae discrimen adductus, ut ex Medi-

corum consilio sanguinis ei facta missio, ex quâ tantum abfuit, ut morbo aliquantulum levatus, quin potiùs morti proximus videretur. Quod conscientiae Moderator cum ei significasset, simulque quaesivisset vellet, nec ne Christi corpore in viaticum refici, statim HIPPOLYTUS, qui jamdiu sese ad mortem quotidie paraverat, nihil sibi gratius, ac jucundius fore, respondit, quam ut tantum hospitem exciperet, eique se arctiùs adjungeret. Ita vespere totius anteactae vitae noxas per Poenitentiae Sacramentum eo cum animi dolore, eaque humilitate luendas curavit, perinde quasi vitiis omnibus coinquinatus; mane vero pridie Non. Novembres, die sacrâ sancto Karolo Borromeo, post plures horas in fidei, spei, caritatis, aliarumque virtutum sensibus eliciendis exactas, e lectulo surgere volebat, et humi flexis genibus sacrae Eucharistiae viatico muniri; sed ab conscientiae Moderatore id agere prae virium infirmitate prohibitus, cubuit. Voluit tamen, quoniam per se ipse non poterat, ut idem conscientiae Moderator adstantibus significaret, se in sinu, complexumque Catholicae Romanae Ecclesiae et semper vixisse, et mori velle; veniam petere, si cui forte offensioni fuisset; inimicis ignoscere, quos tamen se habere non noverat; Sodalibus, filiisque Sodalitatem vehementer commendare, aliaque plura. Post haec divina usurpavit mysteria eo pietatis sensu, ut commoti omnes lacrimas tenere non potuerint.

Tum vero HIPPOLYTUS non animo solum, sed et corpore recreatus, praesertim cum inducias fecisse morbus visus sit. Ita duos per menses meliusculus fuit: at exinde dyspnoeae cum hydrops etiam intervenisset, neque spiritum trahere, neque dies, noctesque conquiescere poterat. Hic tamen HIPPOLYTI vir-

tus magis, magisque enituit: namque ille graves morbi molestias tam aequo, patientique animo tolerabat, ut non modo effundere questus, sed vel ipsa mittere suspiria religioni haberet, tum quoque ex Medicorum arbitrio ita pendebat, ut quidquid ii praescriberent, quamvis insuave palato, statim hauriret, nequaquam vero aquae guttulam, unde sitim, quâ torquebatur, vel minimum sedaret, nisi ex eorum voluntate.

Serpserat interea per urbem rumor, HIPPOLYTUM et graviter aegrotare, et maxima simul infractae patientiae documenta praebere. Hoc nuntio permoti cives certatim in HIPPOLYTI aedes accurrere, ut vel ejus apud Deum preces implorarent, vel faustam ab eo precationem peterent, vel in lectulo doloris sui jacentem invictae patientiae exemplar veluti Jobum alterum intuerentur. Neque vero ii homines solum de plebe, sed et nobiles, et dignitate amplissimi, et vel ipsi Archiepiscopi Florentinus, ac Senensis, quos omnes HIPPOLYTUS benigne, atque humiliter ex more excipiebat, iisque etiam pro re, ac tempore salutaria monita praebebat.

Haud tamen teterrimus humani generis hostis animo fractus adhuc, sed vehementiùs etiam sub vitae extremum sollicitare conatus HIPPOLYTUM, ut vel in questus ipse erumperet, vel aliquantulum ex suae cum divinâ voluntatis consensione remitteret. Quare modo haec, modo illa in mentem revocare studebat, quae primo adspectu nihil admodum prae se mali ferre videbantur, immo potiùs prudenter facta, uti, ex gr., morbi curationem immutare, aut alios Hippocraticae artis peritos arcessere, hisque similia. Sed HIPPOLYTUS callidissimi hostis insidiis perpetuo invigilans, omnes detegebat, rejiciebat, seque paratum ex animo profi-

tebatur, si Dei ita ferret voluntas, qui eodem in statu permaneret usque eo, dum Dei Filius universum humanum genus judicaturus adveniet, tametsi post annorum decies centena millia id esset obventurum.

Sed hydrope in dies ingravescente, ut crura, et brachia intumescere coeperint, cui cum magna spirandi difficultas accessisset, eo devenit HIPPOLYTUS, ut non ampliùs stratus lectulo jacere, sed per hiemem vel sellulae, vel etiam lectulo ipsi assidere coactus, nihil somni neque per diem, neque per noctem capere posset. Dum ita se habebat HIPPOLYTUS, non modo ejus Sodales, filiique amantissimi, sed et sacrae quaeque Familiae precibus omnibus Deum orabant, ut eum sanitati restitueret, et vel ipse Florentiae Archiepiscopus Christum in Eucharistiâ latentem publice adorandum hanc ad rem proponi mandavit, quo magni hominum concursus ex amore, et observantia, quâ omnes prosequebantur HIPPOLYTUM. Quod cum hic rescivisset, omnibus, qui eum convenirent, dicere solebat, Deum utique adprecarentur, non tamen ut convalesceret, sed ut se totum ad Dei voluntatem converteret, in eâque unâ conquiesceret. Hoc nimirum unum spectabat HIPPOLYTUS, qui in discerpto Christi Jesu latere semper latitans, atque ignitos amoris sensus in eum emittens, serenâ fronte, hilarique vultu incommoda quaeque perferebat, eaque usurpabat verba: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* Cum vero speraret in Domino, et ad eum clamaret, Dominus idem erat cum ipso in tribulatione, et glorificabat eum; siquidem tot inter angustias et plures divinitùs objectae species, et caelestibus recreatus solatiis, ut vera, et numquam interitura gaudia jam praegustaret, et dicere utique posset: *Benedictus Deus, ac Pater Do-*

mini nostri Jesu Christi, pater misericordiarum, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.

Jam porro HIPPOLYTUS aegrotans, tametsi Dominico quoque die caelesti pabulo ex pietate refectus, quotidie vero tantummodo spiritu, cum tamen Idus Martiae advenissent, qui dies in Dominicum tunc incidit, eodem in viaticum, et quidem postremum muniendus visus; quod iisdem ipsis virtutum sensibus, ac significationibus peregit, quibus jam primum perfecisse diximus, ut adstantes lacrimis diffluerent. Tum vero cum morbi impetus in horas acrior sacro infirmorum oleo, dum suae mentis adhuc compos inungi postulavit, quod Sacramentum religiosissime suscepit, atque vel ipsas Sacerdotis preces proferre conatus est. Hoc ipso die sub vesperam Florentiae Archiepiscopus, ut quam de HIPPOLYTI virtute opinionem habebat, postremum etiam significaret, in ejus se domum pedibus contulit, eique faustam precationem impertivit. Post haec plura Sodalibus, suisque filiis monita dedit, duosque ex his secreto docuit, quae ad Sodalitatis regimen, bonumque pertinerent. Per noctem ex gravissimis morbi doloribus numquam omnino quievit, sed praeclara virtutum documenta praebuit, et simul alias caelestium objectas species excepit. Ubi dies illuxit, ii, qui pernoctantes ei ministraverant, secesserunt, ut aliquantisper conquiescerent; et paucis post horis HIPPOLYTUS mandavit, ut nonnulla apponerentur lumina ad imaginem Christi Jesu e cruce pendentis, quam ex adverso habebat, et in eam quasi adoraturus conversus manum extulit Sodalem versus, qui ei duobus cum Presbyteris aderat. Quà ex re cum illi intellexissent morti propriùs abesse, sollemni precatione ejus morientis animam Deo commendare coeperunt; et tunc HIPPO-

LYTUS junctis manibus, oculisque in caelum sublatis, se totum in Deum abreptum esse ostendit. Unus porro ex Presbyteris lustrali eum aquâ adspergens, dum ejus in Deo spem excitabat Psalmographi verbis usus: *Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi*, quae HIPPOLYTUS usurpare consueverat cum cubitum iret, HIPPOLYTUS ipse interea dulce suspirium trahens absque ullâ membrorum distorsione, Feriâ sextâ sub meridiem placidissime efflavit animam, pro vitâ tam integerrime actâ immarcescibilem gloriae coronam accepturus, natus annos LIV., menses quinque, et dies sex, XIII. Kal. Apriles an. MDCXIX.

Cautum prudenter fuerat, ne ejus mortis nuntius in vulgus manaret; sed non ita post multo ecce tibi magnus hominum numerus, qui ad HIPPOLYTI aedes accurrunt, ut eum intueantur, vel quidpiam sibi ex ejus rebus habeant, tamquam sacra lipsana. Itaque ex quartâ noctis horâ, et quidem sine pompâ, uti statutum, ad mediam noctem differre funus oportuit, in quo dum amplissimi viri, atque ex sacris etiam Familiis Alumni subibant humeris feretrum, magna hominum comitabatur multitudo, quorum plurimi cereis longo ordine facibus, ut ex mediâ nocte meridies, et ex funere triumphus. Ubi autem cadaver ad Sodalitatis aedem inlatum, post solemnes de more preces, statim dissectum, in eoque reperti pulmones tum colore, tum indole immutati, alia vero viscera vel ex diuturnitate morbi, vel ex humoris copiâ, quâ undique circumfusa, ad tabem vergentia. Illud porro mirum, quod haec omnia dum corpori adhaerebant, aqueum humorem, et pus, ex eo vero extracta vivum, purpureumque sanguinem tres per dies manare visa, quo gossypium, stupa, sudariola,

aliaque lintea certatim imbuta, molestum nullum, immo pergratum diffundebant odorem.

Postero die primâ lucê majores etiam hominum concursus ad Sodalitatis aedem facti, ut HIPPOLYTI corpus inviserent, tangerent, ab eoque aliquid, si possent, pietatis caussâ subriperent. Tum vero Florentiae Archiepiscopus, qui eo mane illuc venerat sacris operaturus, quique quam plurimis Christi corpus fuit impertitus, et de HIPPOLYTI laudibus apposite loquutus, ut confertissimam accurrentem turbam aliquâ ratione contineret, simulque prohiberet, ne quid detrimenti HIPPOLYTI vel vestibus, vel corpori afferretur, sacrum contorsit anathema in eos, qui tale aliquid ausi essent. Quod ne satis quidem esse cum videretur, augusta magni Etruriae Ducis uxor architectum misit, qui validis undique septis HIPPOLYTI cadaver circummuniret, ne quis amplius posset ad illud accedere. Ita se res habuit ad vesperam atque diei Dominicae, quae ab obitu tertia. Tum enimvero sextâ jam noctis horâ HIPPOLYTI corpus atratâ veste exutum, leucophaeâ vero ex Sodalitatis more indutum. Jesu Christi e cruce pendentis imagine pectori, et floreâ capiti coronâ impositâ, abiegna capsâ fuit inclusum, et rudi sepulcro conditum, quod in Sacrarii muri crassitudine pone aram maximam fuerat comparatum. Triduo post, qui tamen sextus a morte dies, reclusâ capsâ, ut ejus corpus aromatâ condiri, balsamoque medicari posset, singula viscera minute explorata, etsi ex hydrope sane acri imbuta humore, non modo nihil habere vitii, sed et gratum reddere odorem reperta sunt.

Jam si tanta de HIPPOLYTI sanctitate, dum viveret, multo etiam major post mortem opinio, ut cujusque aetatis, et conditionis homines ad ejus sepulchrum

venerabundi undique confluerent, qui ejus apud Deum suffragia peterent, et simul votivas tabellas, et maximi pretii dona certatim afferrent acceptorum beneficiorum luculenti testes, quae tamen omnia ex URBANI VIII. Pont. Max. decretis postea sublata. Publicae interim cum ex ordinariâ, tum ex Apostolicâ auctoritate confectae tabulae curâ in primis tum augustae Mediceorum domus, tum Archiepiscopi Florentini, in quas accurate relatum quidquid HIPPOLYTUS et sancte egerat, et divinitùs patraverat. Exinde vero ejus virtutibus ex more, riteque expensis, BENEDICTUS XIV. Pont. Max. plane eximias fuisse statuit decreto edito Idibus Decembribus an. MDCCLVI. Quaestio porro de prodigiis, quae HIPPOLYTO suffragante patrata proferebantur, tametsi paulo post instituta, rerum tamen vicissitudine, et temporum asperitate intermissa, atque ad hanc usque diem prolata. Itaque an. MDCCCXIX., auspice, et patrono primum FERDINANDO III. postea vero LEOPOLDO II. ejus filio, magnis Etruriae Ducibus, et simul curâ, atque industriâ PETRI FRANCISCI MORALI vigilantissimi Florentiae Archiepiscopi, comprobante PIO VII. Pont. Max., instaurata, et ad trutinam deinceps revocatis, quae ad eamdem prodigiorum questionem pertinerent, tamdem LEO XII. Pont. Max. XVIII. Kal. Septembres an. MDCCCXXIV. tria HIPPOLYTO deprecante prodigia comprobanda decrevit, tametsi duo solummodo res postularet:

ATTILIVS . GVERRINIVS
EX . VERO . DIVTVRNOQVE . ANEVRYSMATE
IN . COLLO . PEDIS . DEXTERI . DEPOSITVS
B. HIPPOLYTI . LIPSANIS . ADMOTIS
ILLICO . CONVALESCIT

PETRVS . CONTRIVS
FEBRI . PVTRIDA . MALIGNA . CVM . PVSTVLIS
ALIISQVE . LETALIBVS . SYMPTOMATIS . LABORANS
B. HIPPOLYTI . OPE . VIX. IMPLORATA
SANITATI . RESTITVITVR

MARGARITA . CICCOGNINIA . QVADRIMVLA
EX . OSSIS . ISCHII . CVRVAMINE . IN . DEXTERO . LATERE
ENORMITER . A . NATIVITATE . CLAVDICANS
B. HIPPOLYTI . SEPVLCRO . A . PATRE SVPERSTRATA
ILLINC . ASSVRGENS . RECTE . LIBEREQVE . GRADITVR

His igitur omnibus rite, atque ex ordine peractis, LEO XII. Pont. Max. diplomate edito pridie Kal. Junias an. MDCCCXXV., HIPPOLYTUM GALANTINIUM in Beatorum numerum referri posse auctoritate apostolicâ pronuntiavit, uti solemni ritu perfectùm in Vaticanâ Basilicâ XIII. Kal. Sextiles ejusdem anni. Ita quem LEO XI. Pont. Max. hic in terris Florentiae Apostolum praedicaverat, LEO nunc XII. Pont. Max. Caelitum ordinibus adscripsit. Quidni igitur omni jure exclamemus: Utique *Dominus suscitat de pulvere egenum, et de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum principibus, et solium gloriae teneat?*

B. HIPPOLYTO

TRIDUANA IN URBE SOLLEMNIA

Ut debiti ex more haberentur honores etiam hic in Urbe beato HIPPOLYTO GALANTINIO, Praesul COSMUS CORSIUS, de quo jam in Commentario, cui hujusce rei cura demandata, omnem dedit operam, ut id perquam decenter, ac sollemniter fieret. Itaque peritissimis selectis artificibus, qui opus et administrarent, et amussitatum perficerent, omnia ex votis cecidisse visa sunt. Nam Florentinorum aedes sancto Joanni Baptistae sacra sericis, conchyliatisque peristromatis auro lemniscatis tam eleganter, ac splendide ornata, ut nihil magis; ara vero maxima etiam linteis, in eâque tabula egregie depicta, quae beatum HIPPOLYTUM nubes inter ab Angelis in caelum evectum exhibebat. Erant porro hinc, et illinc ad templi latera decem tabulae inscriptionibus subjectis, quae beati HIPPOLYTI gesta ex publicis desumpta actis referrent. Ex his quatuor ovatae, vivisque distinctae coloribus, quarum tres oculis subjiciebant prodigia beato HIPPOLYTO suffragante patrata, et ab LEONE XII. Pont. Max. comprobata, quae jam sub Commentarii exitum retulimus, quarta vero:

CHRISTVS . IESVS . MANIBUS . E . CRUCE . REFIXIS
B. HIPPOLYTO . APPARENS
EVM . SOLATVR . ET . AD . MOLESTA . QVAEQVE
ALACRI . ANIMO . PERPETIENDA . ERIGIT

Sex aliae oblongae, et quidem monochromata, scilicet:

B. HIPPOLYTVS
PVEROS . AC . RVDES . HOMINES
CATHOLICAE . RELIGIONIS . PRAECEPTIONIBVS
LENITER . PATIENTERQVE . IMBVIT

MARIA . MAGDALENE . DE . PAZZIS
EX . VIRIVM . INFIRMITATE
AD . CLATHRATVM . EXEDRIVM . LECTVLO . DELATA
B. HIPPOLYTI . DICTO . OCISSIME . CONSVRGENS
PIA . CVM . EO . COLLOQVIA . SERIT

B. HIPPOLYTVS . DE . CAELESTIBVS . DISSERENS
ADOLESCENTEM . MATTHAEVM
SACRAM . AEDEM . INGREDIENTEM
DIVINO . INSTINCTV . NOMINATIM . COMPELLANS
EX . PRAVA . AD . HONESTAM . VITAE . RATIONEM
REPENTE . DEDVCIT

SACRA . HOSTIA
E . MANV . SACERDOTIS . IN . OS . B. HIPPOLYTI
CAELESTIA . MYSTERIA . VSVRPANTIS
MIRE . CONVOLAT

COSMVS . II. MAGNVS . ETRVRIAE . DVX
CVM . AVGVSTA . CONIVGE
MARIA . MAGDALENE . AVSTRIACA
B. HIPPOLYTVM
IN . EORVM . SACELLO . DE . DIVINIS . CONCIONANTEM
FERIA . VI. PARASCEVES
OBSTVPESCENTES . AVDIVNT

B. HIPPOLYTVS

AB . DVOBVS . PERDITIS . ADOLESCENTIBVS

IN . ARNVM . DEIECTVS

DEIPARAE . ET . FRANCISCI . AB . ASSISIO . PATROCINIO

SOSPES . EVADIT

Ea porro cereorum copia, iique tam miro ordine, atque artificio dispositi, ut collucentes undique cum visu perjucundi, tum etiam meridiem ipsum superarent.

Neque jam suus deerat sacrae aedis fronti ornatus. Nam et decorata aulaeis, et supra epistylium inscriptio:

B. HIPPOLYTVS

AB . LEONE . XI. PONT. MAX.

APOSTOLVS . HIC . IN TERRIS . HABITVS

AB . LEONE . XII. PONT. MAX.

IN . BEATORVM . ALBVM . RELATVS

Atque in ejusdem frontis coronis:

B. HIPPOLYTO

MERITI . HONORES

Tum vero ampla depicta tabula, quae beatum HIPPOLYTUM caelestes ineuntem sedes referebat, epigrammate subjecto:

HIPPOLYTO . GALANTINIO

BEATORVM . ORDINIBVS . ADSCRIPTO

AB LEONE . XII. PONT. MAX.

SODALES . DOCTRINAE . CHRISTIANAE

IN . VRBE . FLORENTIA

CIVI . PARENTI . PATRONO

TRIDVANA . SOLLEMNIA

Ad hujus tabulae latera apposita stemmata LEONIS XII. Pont. Max., et LEOPOLDI II. magni Etruriae Ducis: ac tamdem supra epistylium portae, quae a latere templi:

IGNEM . QVO . SÀCRA . AEDES . PLANE . COMBVRENDA
B. HIPPOLYTVS . CRVCE . OBIECTA
STATIM . RESTINGVIT

Jam si sacra aedes luminum copiâ tantopere intra collucebat, non minus certe extrinsecus; siquidem templi testudo, ac frons, et vel ipsa via, quae est ad Hadriani molem, aut alio, cereis, et facibus, et vero etiam tot lychnis instructa, qui noctem omnino fugarent.

Hic enimvero triduana sollemnia peracta XII. XI. et X. Kal. Sextiles anni MDCCCXXVI., et singulis quibusque diebus celebriores sacri Oratores beati HIPPOLYTI virtutes, ac gesta dignis laudibus celebrarunt, *Franciscus Finetti* e Societate Jesu, *Ludovicus Ponzileoni* Sacerdos, et *Ferdinandus Jabalot* e Dominicianâ Familiâ, ac sacris sollemnibus cum vocum ad harmoniam concentu, musicisque instrumentis operati LAURENTIUS MATTEI Patriarcha Antiochenus, ALOISIUS BOTTIGLIA Archiepiscopus Pergensis, et (uterque postea in Sacrum purpuratorum Patrum Conlegium cooptatus) JOSEPH DELLA PORTA Patriarcha Constantinopolitanus, ac Vicesgerens. Magnus praeterea per hosce dies in sacram aedem concursus tum Sacerdotum, ut divinam rem ibidem facerent, tum cujusque conditionis, et aetatis, et sexus hominum, ut et beati HIPPOLYTI suffragia apud Deum peterent, et tam elegantem, splendidumque ornatum inviserent.